HISTORIA LITHOTOCÆ MULIERIS OB MORBUM SUUM NON INCURIOSUM FASCINO INCULPATÆ.

COMMENTARIOLO PHYSICO-MEDICO-PRACTICO OBSERVATIONIBUSQUE E CURIOSA LITHOGRAPHIA ET THERAPIA OPPIDO RARIS ILLUSTRATA,

ATQUE

ILLUSTRISSIMAE IMPERIALI ACADEMIAE

LEOPOLDINO-CAROLINÆ NATURÆ-CURIOSORUM

INSTAR THEMATIS SUI SYMPOSIACI OBLATA

AB

IMMANUELE WEISMANNO,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE, ACADEMICO COLLEGA CURIOSO, d. *APOLLOPHANES*, ET PHYSICO ORDINARIO URACENSE-WURTEMBERGICO.

TUBINGÆ,

Literis HIOBI FRANCKII.

Anno M DCC XVI.

Ut ET

Illustribus Magnificis atque Excellentissimis
Dominis,

DN. GEORGIO WOLFFGANGO WEDELIO,
Hæreditario Domino in Schwartza / Medicinæ Doctori, Comiti Palatino Cæsareo, Consiliario Archiatro & Professori Saxonico-Jenensi, ac Societatis Regio-Borussicæ Scientiarum Collegæ.

DN. JOANNI MAURITIO HOFMANNO,
Philosophiæ & Medicinæ Doctori, antehac in Illustri Noricorum Universitate Chemiæ, Botanices & Anatomiæ Professori Ordinario, nunc Consiliario & Archiatro Ducali Onoldino-Brandenburgico & Solisbacensi Palatino.

DN. MICHAELI BERNHARDO VALENTINI,
Medicinæ Doctori, hujusque & Philosophiæ Naturalis Professori Ordinario in Academia Hasso-Giessena, ac Recuperatorum in Italia & Societatis Scientiarum Regiæ Collegæ.

DN. SAMUELI GRASSIO, Medicinæ Doctori, & Physico Seniori Uratislaviæ.

DN. JOANNI ADAMO LIMPRECHTO,
Hæreditario Domino in Klein-Weigelsdorff / Medicinæ Doctori, & Regiæ Majestatis in Borussia Consiliario-Archiatro.

DN. VITO RIEDLINO, Philosophiæ & Medicinæ Doctori, in Imperiali Suevorum Ulmâ Physico Primario, & Illustris Gymnasii Scholarchæ.

DN. GODOFREDO THOMASIO, Medicinæ Doctori, Polihystori, & Illustris Reipublicæ Noribergensis Physico & Archiatro.

Ejusdem

Academiæ Cæsareo-Imperialis Naturæ-Curiosorum ADJUNCTIS Meritissimis.

Cæ-

Cæterisque non minus

ILLUSTRIS SOCIETATIS NATURÆ-CURIOSÆ

Per universum Terrarum Orbem

Nominibus, Muneribus, Meritisque, Nobilissimis Celebratissimis, Excellentissimis

DOMINIS

COLLEGIS.

Mecœnatibus, Promotoribus, Patronis atque Fautoribus Suis

Per Omnem Vitam Decentissimâ Veneratione Colendissimis.

Pro

Gratiosâ in Eandem Augustissimi Cæsaris & Sacri Romani Imperii Academiam Solenni Diplomate & Imposito Cognomine *Apollophanis* Adscriptione.

Et

In Faventissimam SUI Commendationem,

Schedion hoc

Submissisimæ Reverentiæ Symbolum

Eâ, quâ decet, Humillimâ Pietate & Observantiâ Offert

Dicat & Dedicat

Immanuel Weismann.
Philosophiæ & Medicinæ Doctor, & Physicus Ordinarius Uraco- Würtembergicus.

DE-

DEDICATIO.

PER-ILLUSTRES, ILLUSTRES, MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, EXPERIENTISSIMI.

DOMINI, PATRONI FAUTORES ET COLLEGÆ.

EX quo Divino & Ducali Serenissimi mei Principis Indultu ego antihac *Leobergæ*, in oppido inferioris Patriæ, & pronunc *Uraci*, in populosâ antiquitus ad radices alpium structa Urbeculâ Physicali munere defungor, præter alias Praxeos experientias sanè non vulgares aut triviales, datum quoque fuit experiri diversis occasionibus, quid terroris secum vehant, quamque citam cladem inferre nonnunquam soleant morbi acuti & maligni, insidiosâ celeritate grassantes hinc inde inter Cives cujuscunque loci honoris, sortis, ætatis & professionis, è quibus febrilis veneni virulentiâ

rulentiâ interfecti fuerunt multi, vel redditi ad operas suas lon-
go tempore inhabiles, vel dispositi ad vitam diu-valetudinariam,
prout iis facilè contingit, qui infecti contagiosâ labe vel cris
imperfectâ, vel neglectu idoneorum medicamentorum, vel pro-
priæ complexionis inertiâ atque cacochymiâ aut succumbunt
nullâ arte redimendi à morte, aut sentiunt in se atrocem mor-
bum progredi in pejorem, qui acutie quidem non finitur, sed
chronico languore fatalem horulam accersit tandem. Visum
hoc fuit toties, speciatim, cùm æque in civitatibus ac plerisque
vel adjacentibus vel appertinentibus pagis haud adeò pridem
Variolæ malignæ & confluentes, catarrhi maligni & convulsivi, *fe-
bres* simpliciter *acutæ, continentes, purpurales & petechiales*, etiam
Dysenteria maligna periodo non ita longâ omninò multos ex in-
fantibus & adultis enecarint aliquandiu, ut malus funestæ ve-
lut contagionis rumor circumvolaverit, unà cùm horrisonis la-
psibus grandinum fructiferæ terræ arboresque aliquoties penè in
totum vastatæ fuerint, & nihil visum defuisse ad incolarum con-
ditionem tum miseram reddendam miseriorem.

Quo tristi s. lethaliter decumbentium s. modò & quando-
que terribiliter morientium spectaculo, seu cæteris affligenti-
Supremæ manus castigationibus ad suspiria sæpissimè motus non
semel legi & relegi Sylviana hæc, iisque me & pusillamines alios
solatus, cavillatores contrà ad resipiscentiam hortatus sum:
Quippe, *Non solos nostros incolas in DEUM peccasse gravius, quàm
alios, sed libuisse DEO in judiciis suis, horum castigatorum exempl-
reliquos admonere, ne negligentes pœnitentiam castigentur his durius.
Insimul decere medicos, ad animum revocare, ne putent, ad secunda
duntaxat causas attendendum esse, sed primariò ad primam assurgen-
dum, scil. quæ secundis imperat, nec remediis medicorum benedicit,
quamdiu perdurant in delictis suis ægri, qui ad Vitam meliorem ad-
hortandi sunt etiam à medicis.* D. Sylv. Prax. Med. tract. 10. d. Affect.
Epidem. Leidens. Adeò omnia plena sunt vicissitudinibus, u-
mirum

mirum non esse debeat, medicos, qui Jehovam, Vitæ necisque Dominum ejusve justas Vindictas, non morbos aut eorum miasmata velociter trucidantia formidant, pallere, & gemebundos magis quam hilares ad lectulos ægrorum cerni. Ubicunque enim, ut tristentur, inveniunt, & non rarò, dum ab aliis pericula avertunt, in se eadem convertunt.

Non verò semper ita festinanter urgent morbi ad lethum, sed statutum est aliquibus, sat multis annis morbo aut dolore suo detineri, atque sic paulatim mori, inani quavis θεραπεία. Hoc evenit quoque insigni numero in illis inter nos, qui ob patrium solum, vitæ conditionem, gravia laborum genera, egestatem aliasque minus diæteticas rationes facti jam sunt, vel incipiunt fieri *Cachectici, Phthysici, Ascitico-Hydropici, Arthritico-Podagrico-Paretici, Nephritici*, & qui altius huc adspirant, *Calculosi*, ita ut optandus iterum in vitam esset Ille omnium insanabilium morborum solus quondam potensque Σωτὴρ *Paracelsus*, juxta gloriosum epitaphii elogium, quod Salisburgi in templo ipsi erigi curavit Princeps Episcopus, & magno Doctori *Baglivo* plane inversa ejus thesi plures pauperes quàm divites Calculosi produci possent, solâ propriâ praxi, si adhuc ille Romæ viveret, antehac toti choro medico charus & clarus. Utique, deplorabilis morbus est *lithiasis*, cujus dolorosa tyrannis verbis non ita exprimitur, quàm sensibus exhibent eâdem afflictorum misera spectacula, quin ὐδὲν ἔοικεν ἑτέροισι νούσοισι ἔστι, ob cruciatuum ferociam ac diuturnitatem passionumque crudelium, si quiescere tantillum videntur, frequentem recurrentiam & πολυμορφίαν, ægris odiosam, medicis tædiosam ipsique arti sæpè probrosam, cum pharmaca etiam excogitatissima juvare non valeant, nec ἐγχείρησες medico-lithotomicæ vel parum opis afferre possint, ipsamque diritatem calculorum, dum illi obstruunt, stringunt, lancinant, lacerantque ad sanguinem & furorem, non rarò Sola Natura feliciter demulceat, ac prodigiosa

ſa interdum eorum Extrapulſione feralia Symptomata mortemque inſperatò averruncare obſervetur, ut reviviſcere cernantur, qui ante ſub doloribus ſuis deficiebant ab omni ſpe ſanitatis & vitæ.

Eapropter *Illuſtres* atque *Excellentiſſimi Viri!* non παράδοξον *Vobis* erit hoc meum Schediaſma de *Lithotoca fœmina*, quæ tartariſato penè toto ſuo ſanguine dudum radicatæ ſuæ calculoſitatis pathemata hactenus oſtendit in ſe, & eluſit tamen obſtinatè, donec lapidoſa progenies inopinatò diſrumpere cœpit muliebria, ſic proſpiciente Naturâ, & cum admiratione triginta Calculi ſuo coëundi & creſcendi modô diverſi tranſivere per genitalia, ſublato illicò internecini morbi ſchemate ſymptomatumque mirabilium apparatu, raro una conſpectu, tot tantosque calculos per anguſta viarum ſpatia ſine lethali hæmorrhagia excretos fuiſſe, qui lithotomiam expectaverant. Exemplò valetudini ominoſo exemplo reſtituta mulier, non tam ob Calculos numero formâ & materia conſiderabiles, quàm quod de faſcino & veneficiis exinde inculpata fuerit, Curioſæ obſervationi locum quæſivit & obtinuit, quæ Commentatitiis hiſce, DEO T. O. M. aſſiſtente, colluſtrata nuncupari voluit debuitque *Illuſtriſſimæ Cæſareo-Imperiali* Naturæ Curioſorum *Academiæ*, quæ *DEUM Authorem* habet, *Auguſtum Imperatorem Tutorem*, *Rectores Fautoresque Vos, VIROS Illuſtres & Nobiles*, ac Cujus Socium me quoque conſtituit Numen Divinum, benigniſsimo Eorum Patrocinio, Qui illuſtrem Societatem moderantur.

Eo ipſo autem *Mœcenates Gratioſi!* dum *Vos* Cœleſtis noſtræ artis Machaones & Cæſareis Honoribus atque Privilegiis

vilegiis decoratos Viros, intra & extra Europam perinclytos, tenui hac opellâ adire non vereor, Gratiam Favorem & Amorem Vestrum ulterius commereri & precari annitor, ipsoque hoc fine in argumentum Demissæ Reverentiæ meletema præsens Practicum *Illustribus Vestris Nominibus* humillimâ pietate adscribere offerre atque dedicare suscipio, ac totus confido, fore, ut *Vos*, *Venerabiles Patroni!* propitio vultu levidense hoc praxeos Curiosæ exemplar adspicere Eâque gratiosâ Benevolentiâ accipere dignum habeatis, quâ devotione maximâ à me consecratur. Veniam insimul exoro huic meæ libertati, quâ quidem non indecorè nec temere me agere audacter mihi ipsi persuadeo, qui obsequi legibus eò lubentius contendo, quò magis iisdem obstringor, Curioso Conamine conferre, quæ ad Splendidissimæ Academiæ artisque incrementa judicantur profutura. Nolo subinde Amplissimas Vestras Laudes, *Excellentissimi Domini!* in angustiam Schedulæ compingere, quibus totus literarius Orbis repletur, illustratur & oblegere, quibus totus literarius Orbis repletur, illustratur & oblegere, ne me assentiri, vel nimis *Vobis* placere velle, accusari possim à malevolis, quibus nunquam careo, totâ quamvis meâ vitâ & omni meo corde modestus, humilis, candidus omnisque astus & fastus expers erga DEUM & homines.

Solâ modò hac eâque justissima Obligatione devincior *Universæ Illustri Societati Curiosæ*, quæ Collegam me non modò gratiosissimè recipere dignata fuit, sed & Honoribus atque Immunitatibus suis gaudere hactenus concessit, Eâque Tantæ gratiæ in me contestatione sibi me totum obstrictissimum fecit, Qui sub *Augustis ejus Auspiciis* atque *Gloriosâ Clientelâ* vivam moriarque, omnemque occasionem porro Vendicabo, *Humanitatem* hanc *Indulgentissimam* grato semper animo lætoque ore deprædicandi, & Divinam

imprimis Majestatem ardentissimè rogandi, velit Illa *Perillustri* Huic *Vestro Collegio* Splendorem floremque suum porrò tueri, ac *Omnibus & Singulis*, Qui naturæ morborumque arcana industrioso calamo scrutantes *DEO & Cæsari* ad Salutem Publicam gloriamque Seculi florentem servare annituntur *Academiam*, vividam sanitatem, longævam incolumitatem, constantem felicitatem omniumque laborum fortunatissimos successus clementissimè elargiri. *Vivite, Favete, Valete!* Dab. *Uraci* d. 18. Junii 1716.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM.

REperiri ſubter & ſuper terram varios multosque lapides, certò certius eſt. Incertum, quando & quomodo generentur? Ex multis hinc naturæ problematibus gravia judicatu hæc duo etiam ſunt Phyſicis, *Unum*, an Saxa primævo jam Creationis actu ſemel & ſimul produxerit ſapiens Conditor? vel ſingulis diebus adhuc gignantur vi plaſticâ novâ ſeminariâ multiplicativa? *Alterum*, an lapides duri compacti & ad viſum naturalem non permeabiles à ſucco peculiari nutriantur, & ſic perpetuò creſcant atque augeantur more animantium aut vegetabilium, per alimentum mediantibus poris intus ſuſceptum, aut appoſitione partium ad partes, ac velut incruſtatione & adhæſione, aut à Spiritu lapidifico? *Anton. le Grand. Inſtitut. Philoſ.* t. 1. p. 6. a 9. *D. Sennert. Epit. Nat. Scient.* l. 5. c. 4. *M. Gruv. Phyſ.* l. 5. c. 2. *Philoſ. Burg.* V. & N. T. 2. p. 2. c. 5. & *Diſſ.* D. *Bagliv. d. Veget. Lapid.* &c. Quot inde conjecturæ? Quanta ſententiarum portenta? ut apprimè Philoſophus dixerit, *Rerum Ortus à miraculo incepit, ſed majora hæc miracula ſunt, quibus creati Creatorem ob creata ſub examen vocant, cur quomodo & quando hæc vel illa fecerit? quæ non intelligunt, quamvis ſciant.* Et ejusmodi Sciolis acclamari deberet ex Seneca: Et quid mirum hoc eſt, cùm videas ordinem rerum & naturam per conſtituta & perpetua procedere? Sunt & ſub terra minus nota nobis, jura naturæ, in qua omnia fiunt propter divinam neceſſitatem, ſed non minus certa. Crede ſupra, quicquid

quid vides infra, & venerare inventa ſapientiæ ipſosque horum inventores, qui mundum ceu novi ſpectatores ſæpè contemplantur. *Quæſt. Nat.* c. 16. & *Epiſtol.* 64 quippe agnoſcitur inde & cæteris rebus conditis DEI æterna tum potentia tum divinitas *Epiſt. Roman.* I, 20. & homo ideò brutis & mundo præſtat ratione & oculis, ſpectator operum DEI, ut admiretur ea & cognoſcat Creatorem, ex quo & propter quem omnia conſtituta ſunt. *D. Auguſtin. d. mund.* c. 6.

Tota Natura miraculoſis operationibus efficax, ſingulisque creatis ineſt occultus inſtinctus ſeſe multiplicandi & conſervandi, quamvis id contingat inviſibiliter, à principio intrinſeco aut Ente omnibus rebus corporeis inſito, ac virtute prolificâ vel ſui aſſimilatrice prædito, quod ſatius eſt credere opus adorandi Numinis, quàm nimis curiosâ rationis ſolicitudine id rimari velle, induſtrio quidem, ſed inani labore. Multa ſunt, quæ ſcimus in naturalibus, plura, circa quæ dubitamus, plurima, quæ in totum ignoramus, & ſolùm admiramur. Hoc ſufficienter ſcimus, *multa & magnificata eſſe opera Domini, eaque ſingula in Sapientiâ condita. Pſalm.* 104. 24. Si incomprehenſibile eſt mortali ingenio, quomodo in matris utero ex materia paucâ & corruptibili, modo ſimplici & communi intra paucos menſes tot venis, nervis membranis, vaſis, valvulis & organis inſtructus homo, ἀρχὸν τῶν πλασμάτων κυρίε, *Primarium ex plaſmatibus Domini*, formetur, cujus ſtructuram in unius lineæ ductu nullus artifex ſine errore imitatur? Si non ſatis mirabile, unâ nocte terrâ pluvia tot & varia procreſcere & enutriri vegetabilia, ac totidem colore, ſapore, odore, charactere, figuris & virtutibus diſcrepantes fructus produci, ut ne unus in ampliſſimo orbe Botanicus omnem hanc ubertatem noverit viderit que? Quid de officinâ *Subterraneorum* dicendum, quæ nûlli cedit multitudine & pulchritudine? Ceſſat ratiocinatio, ſi in abditiſſimis montibus adeò diverſas foſſilium Species gigni, compactiſſimos lapides fumis & aquis penetrari, profundiſſima terræ antra metallis repleri, hæcque omnia nullo exteriori adminiculo, evenire conſideremus. D. *Becch. Phyſ. Subterr.* D. *Myl. Saxon. Subterr.* D. *Luyd. Catal. Foſſil. Anglic.* D. *Woodward. Geograph. Phyſ.* & D. *Behr. Hercyn. Curioſ. &c.* Hinc veriſſimè *Rex Salomon*: Animadverti totum opus DEI non poſſe hominem aſſequi, quod fit ſub Sole, quamvis laborioſè quærat homo, & cogitet Sapientiſſimus cognoſcere, *Eccleſiaſt.* VIII, 17.

Rimentur alii naturalia corpora, quô ordine tempore numero, aut quâ elegantiâ olim creata sint. Scandant in juga montium, descendant in cryptas, lapicædinas, speluncas ac centrum terræ, & olfaciant effluentias sulphureas, mercuriales, vitæ non rarò lethales. Aut videant cum horrore infernos naturales, seu tenebricosas excavatis lapidibus, repentibus lacertis, bufonibus, salamandris & serpentibus, aut inter labentium rivorum aut boantium ventorum sonis terribiles cavernas, vel præcipitiorum altitudines metuant vertiginosi. *Homo megacosmi epitome! & Medicus Philosophus* nobilissimi hujus macrocosmi incolæ geneßin naturam, corpus & accidentia ob certissimam analogiam & sympathiam scire, ac in praxi circa negotia sanandi contemplari debet, quid & quantum materiæ causæ occasionis &c. ex aëre aquis & locis subministratum fuerit ad morbos, & quid contra illos auxilii peti & desumi possit? Quippe natura hæc communis ordo & connexio causatum cum effectibus in mundo, seu universa lex & ratio toti mundo & partibus ejus inserta, imò principium est, cujus vi agunt & patiuntur corpora conformiter legibus ab authore Naturæ præscriptis, & cui ministrat Medicus munere sacro peculiariter ipsi demandato, cujus indiget præ aliis creatis creatorum omnium in terra Perfectissimum, vel ex pœna originali, vel aliis necessitatibus, quibus fas est subvenire etiam *per Naturam*, *DEI Vicariam*. quod Sacratissimum ministerium lucri causâ aut quavis aliâ iniquâ temeritate arripere, aut segniter tractare, magnum crimen est. D. *Scbelham. l. bipart. d. Natur.* & D. *Wedel. Exerc. Phil.* M. S, & P D. S 9. 10.

Patiantur terræfossores cervici momentum lethi imminere, dum rariora plasmata quærunt saxeosque montes excavant. Pereant à mortiferis vaporibus, qui mercurium aurum argentum aut aliud pretiosum in infimis quærunt. Sint in terra marmora gemmæ & hujusmodi cara corpora. Disputetur inter Physiocriticos de naturâ, mixtione, differentiis, formis & analysi totidem lapidum. Non multis impunè licet hanc corinthum adire, vel feliciter arduum iter ad subterranea perficere, quod non sine periculo scalis & luminibus absolvitur. Utraque hæc *Laboratoria Naturæ* & *Artis, Sub-* & *Superterraneum*, ita sibi affinia sunt, ut nullum sine altero consistat, & medici scientia utriusque notitiâ stabiliri debeat, ni velit vacillare in theoria, & errare in praxi, ubi levissimus error grave delictum est. Etiam in *Homine* omnia lapidum plena sunt, quorum mineræ, si maturè non exrrahantur aut

de-

destruantur, totos homines in calculos transmutant. Adsunt nonnunquam magno numero & pondere, quamvis non adeò conspicuum sit, unde, quî & quando creverint? Conducuntur *Calculifossores* lithotomi, qui secant & fodiunt calculos, ad quorum multa millia stuperent oculi, si uno cumulo illos daretur intueri. Medicus tot lapides miratur meritò, non quà solum multos, sed magis, quà ex mollissimis fluidis enatos, subinde cùm ex tristissimâ *Calculositatis* passione universalis Oeconomiæ miseria & corruptio resplendeat.

Meretur Curiosæ Pathologiæ Scrutatoribus *Lithotoca mulier* proferri in Scenam, qua faciem & reliqua torva quidem rugosa & strigosa, sed quæ ex morbo suo non vulgari à *Calculis* nuper magna & multa passa, & cujus Historiola hoc Scholio amplificata dicata fuit, Quæ *Magnifico Naturæ Curiosorum Ordini* offerretur, in quem Solenni ac Consueto Ritu ante triennium me gratiosissimè suscipere placuerat *Illustribus* Academiæ Istius Cæsareo-Imperialis Dominis PRÆSIDI, DIRECTORI & ADJUNCTIS. Non incongruum est insuper laboribus meis, commentari de Calculis, siquidem hic *Uraci*, in paucarum ædium, & multorum civium urbeculâ, (quæ, me judice, ratione soli situs montium vallium fluminum & victitandi generis hac in morbi specie multum proprii habet,) sors & occasio sæpius mihi obtingit medico, mederi, vel fando audire de iis, qui cæterà sani calculis laborant ipsi, vel in suis etiam tenerrimis liberis lithiasin experiri debent, partim susceptis è thoro seminiis calculosis, partim etiam & maxumè absorptis limo tartaro minerisque terreis cum alimentis, quæ chylo & sanguini remixta coagulationem subeunt, in calculos maturescunt morbumque uti hæreditarium, ita familiarem inter nos faciunt, qui interdum ægrum & medicum fatigat rebelli suâ contumaciâ, ut ille vires ac patientiam deperdat, hic bonam opinionem de se & sua arte non raro periclitari experiatur. Quod gravi & memorabili casu recenter mihi obvenit, cum *Viro* aliquot hactenus annis pro *Hypochondriaco-Nephritico calculoso* habito, qualis esse, videri aut nominari usque huc non voluit, indignabundus in omnes, qui diuturnos & subinde lachrymis dignos ejus dolores oriri à calculo asserunt.

Etenim, cùm nec mihi, nec aliis, qui in consortium curæ accersiti fuerunt, Celebres medici & lithotomi, non patuisset vera origo & causa contumacium cruciatuum, ob *Calculum* in *Sinistro Rene*, prout judicabatur, *Sessilem & in Vesica quoque majorem & duriter jam*

impa-

impactum, ſymptomatum conſtantiam gravitatemque, & præſcriptorum optimâ artis methodo pharmacorùm ferè inanem uſuram, dubitare cœptum fuit, an Calculus reverà adſit? vel aliud occultum malum, aut vitium organicum lithiaſin æmuletur? anque ullo adhuc medicamine auxilium ferri poſſit? Siquidem æger animo & corpore nullâ pœnè dolorum intermiſſione languidus, feſſus & conſumptus fato relinqui maluit, quàm medicamentis longius torqueri. Medici verò vix ullam ſupereſſe medelam falſi ſunt!, quæ tantæ Paſſioni ſufficiat, tantum demulcendæ, minus tollendæ, ut ob vacillantem eô ipsô inter agnatos & naſutos quosdam cives famam medicam & peſſimam morbi qualitatem conſultius fuiſſet, à cura abſtinuiſſe, quàm eidem longius inſiſtendo anſam dediſſe inconcinnis ſermonibus, & putidis cavillationibus, de quibus ſemper aliquid hæret in animis vulgi. Quæ & quanta autem ſub quinquennis ſuæ Lithiaſeos torturâ Ille paſſus ſit, cum circumſtantiis hic recenſere, anguſtæ pagellæ vetant, imò, quid adhuc interdiu noctuque patiatur, ſuperaddere, minus neceſſarium eſt. Secundum primaria & inſigniter doloroſa pathemata latenti calculo dudum attributa conſimillimus eſt celebratiſſimo olim per totum orbem Viro, *Iſaaco Caſaubono*, cujus exemplum cum Hiſtoriâ morbi præfigere non indignum æſtimari poteſt, inſtar ſchematiſmi, & ob phænomenorum intimam analogiam.

Ille Caſaubonus ſortitus erat natura corpus ſiccum & mediocriter gracile, temperamentum bilioſum igneumque animi vigorem. Laboribus deditiſſimus fuit eisque impalluit. Paucis vel nullis magnis morbis obnoxius ſolùm eà incommoda leviter expertus eſt, quæ vitam diu ſedentariam ſequuntur. Aliquando arenoſam ſaburram depoſuere renes non ſine urethræ ardore inter mejendum, ex quo medicam opem non ſtatim poſtulavit. Paulatim tamen vires minui, diſſipari ſpiritus, debilitari functiones & intendi dolores ſenſit, priùs vel planè quieſcentes, vel fugaces, vel obiter ſaltem moleſtos, qui poſtea verò ſemper magis redivivi, ardentes, punctorii & paucioribus intervallis, præſertim veſperi & noctu importuni omnem ſomnum interruperunt, & frequenter adegerunt ad matulam. Subſtitit etiam urina, & non effluxit, niſi magno & interpolato niſu unâ nocte quinquies, ſepties decies, tandem infinitis vicibus. Pectinis dolor, grave ano incumbens pondus, inter vel ante mejendum alvi exonerandæ cupiditas vel ſtimulus, exeuntis paucæ urinæ dolor per totum cana-

lem, maximè in glande, qui ſenſus erat quaſi multorum acuminum ſimul pungentium. Ingens in dorſo & lumbis calor, poſtea urinæ ut plurimum turbidæ cum mucoſo ſedimento & ſtriis cruentis, auctâ ſimul dyſuria & ſtranguriâ. Invaluit inter mejendum deſidendi neceſſitas, invaſit febricula cum phlogoſibus & rigoribus inordinatis. Hæc ſyndrome ſuſpicionem calculi injecit medicis. Pugnatum inde iis, quæ ſpaſmodicas criſpationes & acrimoniam lotii demulcere ac corrigere, mucum incidere facilemque viarum lenitione huic & calculo exitum parare, atque ſubdolæ lentæ febri obſtare valebant. Singula incaſſum. Urinæ dictæ inſtar lixivii aut cereviſiæ profluxerunt quidem, ſed mictionem illicò novum mejendi deſiderium excepit. Calidiſſimæ hæ quoque ad manum tangentis cum excoriatione & inflammatione urethræ. Dehinc, cùm aliqua ſpes valetudinis affulgeret, in lotio mucus erat dimidia imò tota pars, cohærens tàm tenaciter, ut divelli non poſſet, & ex matula continuo contextu in pavimentum flueret. Poſt redditam ingentem albugineæ hujus pituitæ quantitatem dolor ardoris inducias dedit, recurrens novâ aggeſtione. Tandem continuata febre & diris cruciatibus penè tabefactum corpus & liquefactum ad mortem. D. *Raph. Thorius in obſ. pecul.* & D. *Bonet. Anat. Pract.* ubi Sectionis obſervata leguntur, quæ hîc ſtudiò p. t. reticentur.

Vir ſeptuagenarius parum ſæpe & cum irritatione minxit, interdum vehementi ſimul egerendi conatu, ardore & dolore urinæ. Nec ſabulum nec calculos unquam excrevit. Gravitas circa pubem aſſidua & in perinæo, vagantes in corpore calores, notabilis intemperies febrilis, virium languor, larga puris cum urinis profuſio, vomitiones crebræ, ſingultus, ſitis, pectoris anguſtia, dyſpnoëa ſæpiusque animi deliquium. Per ſemiannum ceſſarunt hæc ſingula, ut ſua munia obierit, etiam equitando & ambulando. Rediit difficultas mingendi, & poſt intolerabilem ante mictum ardorem urinam emiſit multam, purulentam, mucoſam & ſquamulis plenam ut non amplius dubitatum fuerit de calculo veſicæ - vel ipsâ veſicæ ſcabie. Admiſit lithotomum ad confirmandam vel rejiciendam calculi ſuſpicionem, qui factâ exploratione, tangere ſe in veſica calculum magnum aſſeruit domumque abiit, petiturus extrahendo illi inſtrumenta. Sed æger timoribus & doloribus exhauſtus ante ejus recurſum expiravit, non conceſſo ad ſectionem corpore, ferè ad horam tumulationis, quâ inſtante vidua

exoravit medicum, ut inquireret calculum, vel quod calculi pathemata intulerit. *Nullus* verò *Calculus*, *nullum ulcus invenibus & vesica*, sed hæc aliquantum intertriginosa, & renes solitò majores ac rubicundi. Fuit quippe admodum *Venereus* & *strenuus Potator*. Et *Juvenis Illustris* à teneris annis nephritide afflictus creditus fuit à parentibus & medicis, cum subinde febricitaret, vomeret, lumbis, pube, perinæo & toto abdomine doloret urinamque ferè semper redderet crassam, turpidam glutinosam & paulisper sabulosam. Crebrò ad mingendum stimulabatur etiam noctu, ut interrupto toties somno totus langueret. Jungebatur lumborum ardor, & dolor ad vesicæ collum, quin &, ubi tantillum lotii reddendum fuisset, simul quoque stimulabatur in recto intestino. Immisso in vesicam cathetere magnum foveri calculum edixit Operator inclytus. Verùm quatuor abhinc annis febre contabuit *sine Calculo*, solo rene sinistro majore justò deprehenso & scyrrhoso, qui pressus pus & sanguinem stillabat. &c. &c. Sed hæc per Parenthesin.

Sit autem Hæc Lithotoca habita pro *Incantatâ lamiâ* & *mancipio Diaboli*, ejusque morbus portentum magicum, & spectaculum peregrinum, suspiciosum, supra naturale, & interventu spirituum seu dæmonum machinatum. Sit Dæmon princeps, author, deceptor & executor fascini. Lateat anguis in herba, modò non sit antiquus ille Serpens, qui à primordiis orbis fraude & mendaciis suis conatus est fallere homines, & non infeliciter. Sitque homo homini diabolus, odiorum primicerius, & addiscat satanam in consortium læsionum veneficiorumque adsciscere. Multa contra naturæ leges licent dæmonibus, quæ supra naturam existimare ineptum est, eô quod non secundum solidum rerum cursum eveniant. Hæ sunt artes Dæmonum, qui uti apud priora secula miseris terræ filiis, editis ut videbatur, miraculis persuadebant, *se DEOS esse & posse omnia*, sic nostro hoc præclusis ejusmodi diverticulis nihil amplius hoc argumento obtinere queunt, se impotentissimos simulant, & prope modum nihil esse animis curiosulis & vitæ licentiam tranquillitatemque conscientiæ desiderantibus eunt persuasum, cohibentes vim suam, & se occultantes, quô qui charybdin in tantâ sacrarum literarum luce facilè evitant, in Scyllam incidant, & superstitione sublatâ ad alterum extremum feliciter progrediantur, justo DEI judicio, & consueto olim more, cùm sapientes sibi visi iterum licet aliâ ratione, stulti reddantur. D. *Schel-*

 ham.

bam. l. s. c. Tamen & hoc fatendum eſt, ex *Wiero d. præſtig. Dæmon.* c. 12 & 14. præſtantiſſimo, ſæpè medicos à diabolo in hoc ludificari, quod ad naturales cauſas hæc referant & fruſtra curationem tentent medicamentis in iis, quos ſuperatos jam accepit in ſuam poteſtatem; & quos potius deſtruere quærit abuſu naturæ, quàm eorum morbos in uſum melioris vitæ vertere. &c.

An *calculi* ſoleant poſſintque eſſe aut præſumi *materia, objectum & effectus Faſcinationis* aut *Veneficii*, obſcurum eſt. Nonnunquam naturalia in nimiam admirationem trahuntur & ſimplici imprimis vulgo illicò omnia ſtupenda maleficiata, incantatoria & dæmoniaca dicuntur, quæ nec ſenſibus ſuis hebetibus cognoſcere, nec ad certum morborum genus referre poteſt. Oportet, non omnia credere, neque nihil. *Hippocr.* l. 6. *Epid.* medicus interpres accedat. Morbi graves aut inſueti nec omnes, nec nulli à Faſcino ſunt. Dn. D. *Wedel. Diſſ. d. morb. à faſcin.* De obſcuriſſimis opinio magis, quàm ars judicat. *Hippocr. d. flat.* Si quid *Divinum* morbis ineſt, decet, hujus prænotionem ediſcere. *Id. l. d. prognoſt.* Abſint præjudicia, mendacia, fallaciæ, livores & ſuperſtitiones. Ubi nihil de miro affectu certum conſtat, medico juſta conjecturæ aut hæſitationis excuſatio eſt. Dubia in melius interpretanda, & ſequendum in ambiguis, quod mitius eſt, donec ancipitis rei plenior probatio inferatur. Quin imò prudentiæ momentum eſt in medico, condeſcendere ſuſpicacibus ægris, eſſe à Faſcino morbum, qui ab incantamentis non eſt, id pervicaciter dummodo credant, & à medico curari cupiant. Aliàs feruntur in abſurda, negligunt divinam manum in medicaminibus repoſitam, inculpant medicum ignorantiæ in diagnoſi cum infamia & odio, ſatagunt Chriſtianam ejus methodum deſerere, in deteriora declinare, veneficos accedere, ſi ſuperosque flectere non poſſunt, acheronta movere, ſolis Exorciſmi impietatibus curari velle, atque divinæ maledictionis reos ſe facere, *Levit.* XIX, 31. XX. 6, *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & ab iis ſciſcitabitur, polluitur per eos. & ponet DEus faciem ſuam contra illam, & ejicietur è medio populi ſui.* Quippe divinatio erroris plena, auguria mendacia, & ſomnia malefacientium vanitas. *Eccleſiaſt.* XXXIV, 1. 2, 3. adeoq;

Proſit ut ægrotis medicam nil dedecet artem,
Id fiat ſalvâ *Religione* modò,
Vana ſuperſtitiò procul hinc magicique ſuſurrri,
Nemo tanti à queis decipiatur, emat. *Gabr. Ayla in Poëm.*

Cùm

Cùm in infirmitate suâ non quæsiverit Dominum, sed magis confisus fuerit in *arte* medicorum, (textu interpretum medicastrorum, magorum, μετὰ καλάχενσιν,) mortuus est Assa Rex Israëliticus. *Paralipom.* XVI, 12. &, quod miserit Rex Ahasia, ut consuleretur Beel-Sebub, Deus Accaron, non descendit è lecto, sed mortuus est: Reg. I. vs. 16. Quæ vera causa est, quare istiusmodi morbi minus sanentur, qui sanari possent, si consulerentur, quos accedere vel vocare præ Empiricis lamiis & reliquis andabatarum sociis honestas & conscientia suasissent. Sed, quis vivet, cùm hæc fiant? quis erit adhuc in vivis, si desierint impudicissimorum medicastrorum imposturæ? Nemo. DEUS meliora! Dabantur hæc *Uraci* d. XX. Junii M DCC XVI.

HISTORIOLA MORBI.

Mulier Quinquagenaria paupercula & duris laboribus adacta præcordiorum & ventris dolores, rosiones item ac lancinationes passa fuit, vagas in sinistrum femur, dextrum brachium, in artus ferè omnes ac totum corpus. Subinde mucos & arenas minxit, quod morbosum non habuit. Urgente verò mictu parco & doloroso maritus medicastrum consuluit, qui viso lotio effatus est: Fœminam perplures calculos gestare, totâ corporis sui internâ superficie crustis lapideis obductam esse, ut dolium tartaro, & ægrè ipsi opem dari posse. Dedit tamen ille, ut & tonsor paganus, aquam Saxifragiæ albæ largiter bibendam, & uterque jussit pubem oleis ungere. Frequenter & ubertim liquamina mucoso-biliosa evomuit, non sine cardialgia & febriculâ. Dormiens sæpius expavit, & leviter deliravit. Per intervalla intensè sitiit, & cùm bibisset, quod solebat, Fontanam Frigidam, in ventriculo auditus fuit sibilus & fervor strepitosus, qualis à calce vivâ, affusâ ipsi aquâ. Clausâ maximam partem alvo, crepitavit abdomen murmuribus admodum tonitruantibus, & sonoris in longinquum, scybala aliquoties cruenta, exiturientibus imprimis calculis, quales non paucos nucleiformes tum, uti conjecturabatur ipsa, è vesica excreverat inopinatò, cum doloribus hypogastrii pubisque uncorum & cultrorum adinstar scindentibus. Pronuper ob nova tormina incalefactum in fornace laterem planum pannoque duplicato tectum ventri imposuit, & illicò in eo fragorem persensit insequente tenesmodico conatu protenso ad vesicam & posteriora, quô per aliquot horas durante colluviem pituitoso-sanguineam, ac unà XXX. *calculos suâ sponte & successivè è muliebribus exoneravit, magnitudine & coloribus diversos, equorum nonnullis chalybe scintillæ prolectæ fuerunt.*

 Maxi-

Maximus ultimò decidit è naturalibus inpavimentum lapsu gravi , wie ein Pfundstein. *Cùm posthac urina præter ordinem multa, effato Clinicarum*, fast Selten-weiß / *profluxisset*, *animo soluta fuit. Convaluit cum admiratione plurium, maximè eorum, à quibus habita fuit incantata aut venefica, usa quippe non paucis contra fascina & veneficia. Parens illius pertinaci ischuriâ demortuus est. Ab aliquibus curiosis & celebribus medicis desiderabatur secari, non quidem calculis, sed tabe moritura. &c. &c.*

SCHOLIUM.

M*Ulier* & morbi & thematis Objectum est. Mulier quà mulier ob impotentiam animi, ætate magis fotam, insidiis levissimis facilè deceptibilis, ac illecebris citius inescari apta, respectu Virorum, Dæmoniacis etiam officiis & tentationibus plus exposita, cùm resistere non ita norit. *Illustr.* Dn. D. *Wedel. D.ss d. morb. à fascin.* & D. *Zach.* Q. M. L. l. 3. t. 1. Q. 5. §. 43. Est enim muliebris natura animi magis dejecti ac imminuti, ex quo fortiter pavent, delirant, & se Dæmones videre putant ipsis infestos, quandoque nocte, quandoque interdiu, aliquando utroque tempore: *Hippocr. l. d. virg. morb.* imprimis, si ex quisquiliis hypochondriorum & matricis eò insaniæ procedunt, ut ratione suâ sæviter & mirè furant, angantur, & præstigiis Diaboli se tactas esse contumaciter credant, modò timidæ & tristes, modò audaces & desperabundæ, prædominante in humoribus hac vel aliâ cacochymiâ, dyscrasiâ aut obliquitate. Dn. D. *Muralt. d. melanchol. Uterin.* Cæterà, uti primi peccati, ita omnis molestiæ & morbosæ corruptionis primarium instrumentum, fœmina dolori multo obnoxia, cui nulla calamitas sola, & quæ singulos morbos etiam difficillimos, *Bis* patitur, quà *Homo*, & quà *mulier*, destructæ naturæ pœnas per misera muliebria individua tolerans, & felix, si patienter suas tribulationes ferat. *Van Helmont. Asthm. & Thuss.* qui à DEO peculiariter & ex singulari beneplacito fœmellas fuisse dilectas autumat, cùm Decreto primo, *Genes.* III. 16. illas præ maribus plurimis miseriis, angustiis, calamitatibus & morbis circumdederit, ut mulier propter solum uterum, libidinis Sacrarium, lernam malorum & morborum innumerorum primum condum, adeò multa patiatur, ac ex eo velut uno Centro illius animositates & perturbationes exsurgant, quæ nunc in ossa, nunc in nervos, nunc in intestina, viscera & membranas crudeliter fero-

ferociunt, cor, caput, ſenſus & mentem ſuccutiunt, *d. morbor. id.* In ſpecie, organa generationi, conceptioni & lactationi dicata diris ægritudinibus excarnificantur, ut miſeræ ſortes & acerbiſſima ſexûs fata ſint, omniumque commiſeratione digna. D. *Barthol. Orat. d. Retent. Secund.* Benè hinc iterum *Hippocrates*: Τὰ γυναικεῖα νοσήματα τὰ καλεόμενα αἱ ὑστέραι πάντων τῶν νοσημάτων αἰτίαι. *libr. d. loc. in hom.* Quippe uterus ſeu ζῶον ἐν ζώῳ cum ſuo archeo univerſales claves gerit ad omnia viſcéra, & morbos fabricat in Totum redundantes, Vi quaſi magneticâ, convocando ſpiritus ad ſe, primam hominis officinam, cui omnes corporis partes clientelam debent, quæque in pignus divinæ vindictæ ob inobedientiam Originaliter omnes morbos complectitur. D. *Faber. in Pathologia.*

Sufficeret adeò Solo has Utero affligi, è quo ceu equo Trojano, vel ex pyxide Pandoræ nil niſi infortunia moleſtiæ ſymptomata & diſcrimina pleno agmine prorumpunt pullulantque. Sufficeret, menſtruatim è catameniis capite, coxis, hypogaſtriis & ipsâ pube dolere, agi, pungi etiamſi ritè ſtillent, nec excedant, aut deficiant, afflicto utrinque toto corpore. Sufficeret, 40. hebdomadibus ſub graviditate, odontalgia, picâ, anorexiâ vomitu, varicibus, aliisque non facilè medicabilibus incommodis divexari Sufficeret denique triſti dolorum connubio inter pariendum diu vehementer & ſæpè ad necem usque torqueri, aut ab Embryulco ſauciari, aut pluribus non minoribus propter ſterilitatem genitalium pathematis, variis catarrhis ſtagnationibus, corruptionibus, excoriationibus, ſpaſmis, tentigine, clitoferisque inſaniâ, furore uterino, inſomniis venereis pollutionibusque quenter corripi, ac totâ vitâ magis ægrotare, quàm valere. Dn. D. *Valentin. Epiſt. d. nov matric. & Morbon. mulıebr. anatom.* Sed ſicuti ſine conſortio virorum eſſe nequeunt mulierculæ, à quibus ſic natura & more communi amplexando & imprægnando graviſſimis periculis exponuntur, ita communia cum maribus patiuntur mala eorumque vel ſingulari multitudine vel pertinaci duratione infelici indole & inclementi fato obruuntur ac detinentur, ut ingratus nominari mereatur, qui ægrè faciat fœmellis, earumque cruciplenam conditionem lugere non velit. Oberrant ipſis morbi tàm interdiu quàm noctu, nunquam tuta fides, ſemper Hannibal ad portas, ubique in iis mors mortisque præconia, ut arduum ac maximâ prudentiâ opus ſit, mederi mulieribus, quorum morbi, ſi D. *Kozackio* credendum, laten-

tent usque ad annum septuagesimum, vel plane imperscrutabiles manent. Quippe fœmina menstruatim sanginem & affectus suos mutat, rarò in meliores, semper in occultiores. Surgunt enim ex profundis principiis. & quos fœminæ gestibus fallere nequeunt, fallunt verbis, & variis illudunt insidiis. Imo fiunt earum mala indies deteriora, cùm cavere sibi nolint ab internis inordinationibus & luxuriâ vivendi, vel consulant potius vetulas, quam medicos, vel subinde, quod sæpe & palam faciunt, superstitiosis remediis fascinisque utantur, sive id agant ob pudorem & occultandam morborum turpitudinem, sive eò compellantur dolorum frequentiâ aut vehementia. D. *Hæmorrhag.* l 2 c. 9. & 10.

Quià *lithogenesi* eas immunes vel non prodives prædicant dicunt potius, quàm probant, persuasi partim propter breviorem, rectiorem amplioremque urethram, ac vesicæ sphincterem ob spatium, viciniam & continuam humiditatem commodius dilatabilem, quô naturæ beneficio organismo multa & cita arenularum, vel si grana lapidosa non mingant, fibrillarum phlegmatico-pituitosarum cum sero & lotio ad renes & cæteras vias mictuales advectarum tractuque temporis concrescere potentium in consistentiores massulas, vel planè in calculos conglomeratio & coalitio impediri soleat; vel si augeri incipiat calculus, ille vesicæ summè sensilis& ad stricturas pronæ contractionibus & expressionibus naturâ vel à calculis suscitatis, perpetim atteratur, affricetur & sensim minuatur, vel promtius ac fortius per viam patulam non longam nec obliquam emoveatur vel extrahatur sine tanto labore aut insigni periculo, ac in viris. *Rectè natura muliebri sexui providit, ut tot aliis malis damnata fœmina in calculo excludendo benignâ viarum amplitudine sublevetur. Solâ ferè hac prærogativâ sexus sui infelicitatem solatur.* D. *Barthol.act. med. Hafn* partim etiam & potissimum ob menstrualem sanguinis defluxum ordinarium, naturalem legitimum, quô toties per vitam, quamdiu statutum est, congesta in sanguine recrementa, unà cum ejus superflua portione excerni datur, ut commodum & necessum sit, parcius ægrotare fœminas, speciatim quoque à calculis, sequestratâ per menses cacochymiâ, his multâ & penè communi, ob naturalem crasin, & vivendi consuetudinem, apud plurimas certè non laudabilem. Cui hypothesi experientia & familiaritas medica cum sexu muliebri enixè contrariantur multis modis, ut audacter & cum applausu contradixerit D. D. *Gœlicke in nova Dissert.*

d. fre-

d. frequentia ægrotandi in sexu muliebri præ virili. Verba enim sunt blandimenta & ludibria eorum, qui specificâ amoris teneritudine feruntur erga fœmellas, toto die & anno jam satis vexatas. Nulla talis immunitas, nullum hoc privilegium exemptionis à calculo. Sie können hierinnen ihre weibliche Freyheit nicht anruffen apud medicos, sicut in Re Forensi.

Structuram urethræ monstrat ocularis inspectio & anatomia naturalium in fœminis, quâ calculi facilius quidem excernuntur, succrescere tamen non impediuntur. *Hippocr. d. aër. aquis & locis*, §. 24. D. *Hartmann. obs. d. anatom. calcul. vesic. eneect.* E. N. C. D. 2. a. 5 Ob. 71. D. *Tulp. obs. med.* 3. 7. Et sanguis menstruus f. fœtui destinatus, f. abundantiâ onerosus, atque eapropter ad orgasticam secretionem periodicè dispositus, est pars reliquæ massæ in toto corpore. An vero menstrua ejus vacuatio per uterum à supremis causis cœlorum dependeat? an abstrusi in ejusdem hoc circulo quid lateat? aut potius lex naturæ istiusmodi necessitatem & molestiam mulieribus præordinaverit? hujus loci non est determinare. Verissimum hoc est, justo fluxu nocivis, quæ bonis mixtæ sunt, humiditatibus corpus muliebre, quod iis plerumque turget, liberari repetitis totidem excretionibus, unà diversas infirmitates removeri, in quas inciderent, eô inordinato, imminuto, suppresso. *Helmontio* quippe *monstruosa mulier* vocatur, *quæ non sit menstruata*, siquidem uterus ex alieno cruore vivit, & semper quodammodo insanit, quoties malè valet producitque effectus incantamentis consanguineos, suâ *libertate monarchiali in totum integrali*, quâ potestatem suam exercet crudeliter in miserandi sexus consternationem interniecionemque d. *Concept.* §. 14. 15. & 17.

Quod autem à calculis præmuniant catamenia, (quamdiu hæc fluunt, in aliquibus jam octo-ac nonagenariis, tumulo maturrimis, in quibus diutissimè obstipatos esse tubos & poros uteri præsumi deberet, potius sanguis in fœminis per aortam descendentem majori momento fertur ad arterias uteri, isque augetur ætate provectiore, cùm cordis & ventriculi vires mole sua augeantur, secundum *Archibald. Pitcarnium in Diss. d. theor. flux. menstr.* A. E. L. *anno* 1714. *mens. Octobr.* p. m. 481. & D. *Hannemann. in Schol. Obs.* 120. E. N. C. D. 2. a. 5.) rarum contingens est. En tamen sequens exemplum! Nobilis matrona ad 50. annos integrè menstruata nihil morbosi passa fuit. Deficiente fluxu quolibet mense febrili paroxysmo defectum

hunc molestissimè luit. Accessit *Renum Calculus*, frustra conteri aut expelli tentatus. Rediit à diureticis menstruatio totidem annis suspensa, & quæ lege ætatis amplius speranda non fuisset. Remisit illicò febris menstrua, nec de Calculo ulterius questa, Solo senili marasmo confecta contabuit. D. *Langelot*. E. N. C. D. j. a 5. & 6 O 5. Plures, pænè omni vitâ valetudinariæ, antequam utero desierunt purgari, *nephriticæ* & *calculosæ* factæ sunt: imò, quod peculiare est, interdum cum menstruis everruntur calculi. Fœmina 42. ann. vegeta & prolis multæ mater stato tempore menses fluere locis ordinariis sensit cum dolore & pruritu: à quindecim abhinc annis cum ardore vix tolerabili vexata sunt genitalia, & venter cum pube tantis cruciatibus, ut nisui pariendi eos comparaverit, & coacta fuerit curvato corpore ingredi, quoties menstrua pateretur: monita à medico sub menstruationibus inspexit indusia & adhærentes illis arenulas conspexit, imò lapillulos majora pisa referentes Consultori suo monstravit, utero menstruatim excretos. D. *Myller*. E. N. C. D. 2. a. 7. O. 228. Et cum vel in secundinis post partum, quales extrà ceu arenâ conspersas asperasque, & in illarum ramificationibus venularum particulas sabulosas, duras, calculosque plures concretos in primiparâ, quæ nephritidem nunquam passa, vidit D. *Zwinger*. E N. C. D. 2. a. 9. O. 137. Adeò ubicunque præsto sunt calculi, ubi esse non putantur, ut non immeritò jusserit D. *Tulpius* medicos & chirurgos etiam abstrusissima & fœdissima loca clanculum lapidiconda inquirere, num fortean silicei istiusmodi hospites alicubi delitescant? *Obs. Med.* l. 4. c. 21.

Ordinarius mensium fluxus non impedit, quin mulier possit esse Hysterica, *Illustr.* DD. *Lentilius*, E. N. C. D. 2. a. 7. O. 133. cur non etiam arthritica, Podagrica, Calculosa? Contrà si non prodeunt, ab utero fiunt morbi. *Hippocr.* s. 5. *aphor.* 57. menstruis fluentibus omne malum evasit fœmina; sin sistuntur, plethoricis symptomatibus totius corporis & singularum partium obnoxia redditur, restagnante aut aliò translato sanguine, vel sympathiâ uteri malè affecti. D. *Heurn. in Comment.* ac nullus morbus est, nulla hostilis acerbitas, cujus illa causæ esse non possunt. *Valles. loc. Comm.* Calculorum autem non meminit, nec alius, nec ipse *Hippocrates*, qui muliebrium, si quis alius, quàm scientissimè gnarus noxas cessantium & abolitorum mensium diversis in locis decenter exposuit, v. g. Trimestre per spatium exsplendescunt vires suppressorum mensium, tunc enim vel interdum

dum etiam ſexto menſe morbi eveniunt. Quibusdam turgent crura & pedes, aliæ fiunt coxariæ, ſi ſanguis recurrit in faciem & caput, fiunt maniacæ, ſi effuderit ſe ad partes ſpirabiles, naſcitur plueritis, peripnevmonia, phthiſis, ac ſi totum in corpus abierit, anaſarca. Si putreſcit in utero, febris uterique phlegmone aut carcinoma. Vel, tertio menſe poſt occultatos menſes ſentiunt horrores, lumborum gravitates & quandoque febrem. Poſtea obdureſcit venter, urina copioſior mingitur, cibi faſtidium & vigiliæ ingraveſcunt, ita ut inter dormiendum dentes ſtrideant, & ſi adhuc retineantur, quinto menſe his omnibus & maximè doloribus urgebitur gravius, ſed ſexto menſe morbus inſanabilis redditur, qui ante curari poterat. Et cùm hoc anxia fit, animo linquitur, vult ſuffocari ex aſcenſione matricis, pituitam vomit, ſiti magnâ vexatur, & quaſi balbutit. Poſt hæc intumeſcunt crura, pedes & abdomen, urina mingitur rubra, ſanguinea & dolor totum corpus occupat, maximè collum, ſpinam & inguina, atque ſic moriuntur. &c. l. d *natur. & morb. mulier.* non ex calculo magis hydrope, phthiſi aut febribus pudridis, ob cacochyliam toto ambitu diſperſam, vel gangrænam uteri, ex ſuppurantibus ibi menſibus, quæ non curatur propter acutiem mali, & continuum excrementorum affluxum ad uterum, muliebris corporis ſentinam.

Solas urbanas educatione vitâ & diætâ delicatas mulieres calculo corripi, non, quæ ruri degunt, & externis membrorum artuumque motibus toto die deſtruere potius ſanitatem, quàm reficere & ſervare videri deberent, aſſerit DD. *Bergerus Diſſ.* d. *Commod. Exercit. Corpor.* & D. *Baglivus* vinum lautamque menſam divitibus propriam accuſat, è quibus plures aggrediatur & interficiat calculus, quàm inter pauperes, l. 1. *Prax. app.* d. *calcul. & podagr.* qui pane miſeriæ cibantur, & cum anſeribus bibunt. Qui ſedendo, cubando, quieſcendo ſaginantur & obtorpeſcunt, in iis ſucci nutritii & vitales ſegniter feruntur per corporis organa, in diverſis eorum locis reſtitant, infarctus pariunt, exhalationes tardant, fecumque ſequeſtrationes coërcent. Tum ſerum acidum ſalſum & viſcidum in ſangine vaſis glandoſisque partibus congeſtum & lento ſatis motu ad inferiora naturæ emunctoria delatum varias turbas & ægritudines cauſatur, & præſertim materiale fundamentum exiſtit, è quo totidem in locis, propriè & ſigillatim in renibus atque veſicâ calculi procreſcunt ſucceſſiva ſtaſi cum lentore laticis aut muci propius coëunt, & incruſtando, accreſcendo, coagmen-

tando ac tandem in magnum lapidem adolescendo offendunt, dolores faciunt, & occidunt sæpissimè. Contrà salvâ, laudabili motu & vividâ humorum pressione per vasa Secretiones & Excretiones promptè & blandè succedunt, quod nutritioni vel augmentationi debetur, præparatur, apponitur, assimilatur, superfluum effœtum molestum noxium exhalatur facillimâ transcolatione, ex quo multiplicia morborum germina marcescunt, materiæ quoque fientis Calculi præsentes & aptæ evacuantur, vel facta jam coagula subruuntur. Imperat suprema lex, in sudore vultus suum panem mereri, & dii gentiles nonnisi laboribus dona sua vendiderunt. Aqua stagnat, ni moveatur, quidni fluidum nobilissimum & primarium, Sanguis, qui perpetim moveri pelli circumvehi debet, ne quiete ad Sui depravationem aut lethalem stasin disponatur. In totum melius est, ire & laborare ad sanitatem, nempe actionis æquilibrium servatur, & in sua invicem officia musculosa organa alternant; cùm enim simul universa compages laboret, & singulorum musculorum quidam velut lusus fibrarumque palpitatio sit, circuitum fluidi toto corpore ex æquo respondere necessum est, à quo cum viscera & habitus suum robur atque calorem recipiant, etiam tonum functionesque illorum per motum sanguinis mirificè confirmari credibile est. D. *Pechlinus*, l. 3. O. 35.

Sit verò, omne urbanorum genus lautiori victui assuetum esse, passim genio indulgere abdominique tribuere in saginando, quicquid lucelli aut manuum industria, aut corporis labor parit affertque. D. C. *Piso d. prætervis. morbis à seros. colluv. oriund.* s. 2. p. 2. c. 5. Sit etiam ad computum D. *Sydenham II. Obs.* CC. *morb. acut.* s. 4. c. 7. inferiorem ventrem in quo viscera secretoria majora & nobiliora recubant, exercitiis vibrari, pluribus quàm mille succussationibus una die salubriter exagitari, humorum purgamenta excuti, ac nativum calorem ita roborari, ut tota machina & valetudo consistere possit in diuturnum. Sarciatur in prophylaxi ad metum calculi motibus, quod elanguescit consopitur aut depravatur mollitie, desidiâ, ignaviâ ac humidi hinc superabundantis gravitate & inertiâ. Reddat labor corpus levioris ponderis, faciat vegetam senectutem, & mortem retardet, juxta S. *Sanctor. in med. Static.* motus multus, & ex eo perspiratio violenta corpus extenuat, vires hebetat, humidum divertit & siccat, ac meatus glandularum nimis laxat, ut succosam, vivacem, ac necessariam serositatem continere non possint, magis continuis & fortibus pressionibus protrudant

dant & effundant. Fatigata inde organa & viſcera languidè digerunt, tota liquorum maſſa pervertitur, obtunduntur illis attributa fermenta, & recrementa, viſcida, acida, Salina coagmentantur, effœta malæ nutritionis coagula manent intra corpus, & ſqualore ſuo univerſam vitæ œconomiam conſpurcant. Eò magis hoc, ſi acceſſerit pauper & cruda victitatio jugisque uſura acidorum leguminum, lacticiniorum pultaceorum, vel aliorum indigeſtibilium, quæ dum coqui deberent & reſolvi in dulcem molliuſculam gelatinam alibilem, craſſeſcunt, aceſcunt, pituitam, phlegma craſſum & tenax cumulant, ſeceſſiones ſeri minuunt, & urinæ moram quoque faciunt, ut in ſpecie huic in renibus & veſicâ glutini depluens arena accedat in formam uſque calculi ſolidi, utpote excoctioni & maturationi calculorum major opportunitas non contingat, quàm ex morâ, *Secundum Galenum*. Mucagini quippe ſenſim ſpiſſeſcenti moleculæ terreo-Salinæ ſupercreſcunt, ſtratificando cruſtam cruſtæ; quantum particularum inter ſe ſic remixtarum contactus, cohæſio, junctio & ſtaſis admittitur, ac in tempore non impeditur, teſte analyſi calculorum, plerumque veſicalium; ita ut leve foret, cauſam ſummam & materiem lithiaſeos in hac *Lithotocâ* ſignare, *uxore pauperculâ operarii, jugiter duris laboribus delaſſatâ*, & loco epularum aut nectaris omni eo, quod in eſurientes buccas venit, vix ſatiatâ, niſi potiſſimùm vel inſimul hæreditario ſtamino in eâ calculi ſuccreſcere debuerint è *Semine Patris*, qui *iſchuriâ* calculosâ ſublatus fuit è vivis ante ferè triginta annos. adeo *nati paternorum malorum hæredes ſunt, atque ſic patrum in natos veniunt cum Semine morbi.*

Et magni juris olim erat prolium cum parentibus ſimilitudo ſ. conformitas inter genitores liberosque ratione *ſexus, faciei, morum, complexionis, ſanitatis* & *morborum*, de qua multa diſputabantur inter veteres ſophos, unde dependeat? an à ſeminis exuperantis multitudine, temperie, energiâ? an à parili effectivâ qualitate menſtrui ſanguinis? an ab imaginatione matris ſub coitu, vel totâ graviditate? quippe fit non raro, ut mulier dirigens inter amplexus & ſuavia oculos & mentem in vultum viri, hujus effigiem fœtui imprimat: quinimò quædam mulier, cùm extra legitimum thorum illicitè ſe amari pateretur, metuens, ne inſperatò mariti interventu opprimeretur, infantem enixa eſt, non adultero, ſed abſenti marito exactiſſimè ſimilem. *Similitudo* eſt reputatio in animo & ſpiritibus; in qua multa creduntur pollere, viſus, auditus, memoria, & comprehenſæ ſub conceptu

imagines, tum ſubitò oborta cujuſque rei cogitatio effingere ſimilitudinem concipitur, formas miſcere, hincque alios avorum, alios patrum, plurimos cognatorum effigiem oſtentare: cæterum quoad ingenia, mores, ſtudia animique propenſiones, quotidiana exempla demonſtrant, liberos, utpote quibus omnis vis animi ac vitalis ſpiritus ex facultate Seminis eſt infuſus, pari propemodum eſſe conditione cum progenitoribus eandemque cum iis naturam ſortiri. Quoniam autem maternus ſanguis præcipuum embryonis alimentum & ſecundaria generationis origo ſit, plerumque evenit, ut plus labis contrahatur ex matre, ſivè habitus corporis, ſive animi mores ſpectentur, eaque materna macula magis officiat liberis, quàm paterna. *Plinius hiſt. Natur.* l. 7. *& Levin. Lemn.* l. 1. d. *Occult. Natur. mirac.*

Vulgarius eſt, arguere in ſobole analogiam morborum è thoro in eam translatorum, quamvis ſimilitudinem parentis nullam habeat, quoad faciem àut mores, vel phantaſiæ maternæ effectrix cauſa tribui debeat. Quæ diſpoſitiones ἐκ γένεσις & principiali genituræ culpâ morbidæ familiares & multæ ſunt in vitâ atque praxi, viſu faciles, curatu difficiles, ſubvenire ſibi admittentes ſolum præoccupando, mitigando, imminuendo, ſuſpendendo, retardando, non in integrum tollendo. *Illuſtr.* D. D. *Stahl. diſſ. d. hæred. morb. diſpoſit*: & quales morbi *Spermatici*, Originales, Connati, quæ πάθημα ex familia è primariis & mirificè contumacibus ſunt epilepſia, phthiſis, hydrops, arthritis, podagra & *Calculus*, ſ affectus eorum præcipuus, quos *Salinos* Chymici nominant, *juxta libell. Erdm.* d. *meara*; d. *hæred. morb.* Vel ſaltem retentio urinæ ad plures dies indolens & innocua certis perſonis hæreditaria, qualem de Canditato medico recenſet D. *Paulini*, qui ipſi de ſe ſanctiſſimè retulit, ſibi & familiæ ſuæ paternæ nativum eſſe, ut vix intra ſex vel octo dies urinam mittat, citra moleſtiam & omne ſanitatis diſpendium, ſeque nullum gentis ſuæ ſcire, qui calculo vel ſtranguriâ unquam laboràſſet. *Obſ.* 8. *Med. Phyſ. ſelect. & curioſ.* adeo, ut referri mereatur ad caſus Conſcientiæ, annon præſtaret Calculophoris, abſtinere à ſobolis procreatione, cùm ſcienter liberos generent, qui iisdem doloribus ac tormentis torqueantur & forſan è patrio ſanguine in perniciem vitæ & valetudinis parentum mala prius experiantur, ac mori debeant, quàm eorum bona poſſideant. D. *muralt. in Schol.* O. 12. D. 2. a. 8. *d. dolor. cap. period. recurr.*

Sed

Sed quis prohibeat Calculosis Venerem, ad quam summè proclives sunt, & nusquam ferè magis potentes, quàm si summus dolor urget membrum ad priapeam duritiem tentiginemque, sub qua effrenati nonnunquem uxores suas sine pudore comprimunt, interdum cùm lenitione, sæpius cum augmento morbi, & deliquiosa virium jacturâ. D. *Zach.* Q. M. L. t. 3. t. 1. q. 4. §. 8. & D. *Sachs. in Schol. ad.* O. 71. D. j. a. 2. Si sæva & solvilumba mater Venus pertinacissimis cruciatibus mederi valet, quid ingrata sumptuosa multa pharmaca? utpote contumacissimam ac dolorosissimam odontalgiam jucundo hoc remedio citò & feliciter depulit Illustris quidem vir, *ex Consilio* DD. *Euthij.* E. N. C. D. 3. a. 5. O. 76. Nemo est è podagricis & Calculosis, qui abstemius & absque venere vitam degere velit, præsertim, qui otio & nummis abundant, & loco habitant, ubi vina generosa facilia sunt comparatu. D. *Conring. Diss. d. podagr.* §. 45. forsan hoc præjudicio irretiti cum faceto D. *Guainerio, d. Calculos. passion.* melius esse, per decennium abbreviare vitam, quàm tantæ dulcedinis expertem esse. Vel, quibus valet assertum *Paulinum* etiam sensu physico, *melius est nubere*, s. remedio uti per naturam à Summo DEO concesso, *quàm uri*, s. igneis morbis aut furore lascivo commoveri. 1. *Corinth.* 7. 9. & qui ob valdè frequentem veneris irritationem excusari possunt à medicis propter salsuginosos humores, renum incalescentiam & incitationem perpetuam à materia tartareo-salsâ acri, & ipsius membranæ vesicariæ internæ cum membrana urinarii meatus circa radicem penis titillatione è seminis ubertate & orgasmo vel ejus acredine & stimulo, vel à calculi continuò lacessentis incitamento; Subinde quoque, dum urinas purulentas & viscidas uti calculosi solent mingunt, contabescunt multumque ejulant, sinistrè ceu lue vénereâ infecti, judicantur, tractantur & occiduntur, exemplo juvenis *in lin. medic. Illustr.* DD. *Riedlini ann.* 98. *mens. aug. obs.* 22. Si solis renibus, (in quibus coitalis operationis semina sunt, juxta, D. *Augustinum*, non item medicos anatomicos, qui in renibus particularum sanguinis alterationem, inversionem secretionemque adeò evidentem sensui & oculis, ac in aliâ corporis parte, nullam autem ad seminis præparationem, fœcundationem, generationem &c. ἐνέργειαν admittunt,) naturâ majoribus & crassioribus insideret tinctura aura spiritus, quæ sanguinis massam sic alterare apta sint, ut lasciviæ sensus & appetitus ad venerem in utroque sexu excitetur, masque fœmellam, & contra desiderare incipiat? *Ill.* DD. *Lentil.* E. N. C. *Cent.* 1. & 2. O. 168.

Sym-

Symbolizat etiam ætas ad genesin Calculorum: ætas, id curriculum vitæ, quô constitutio corporis per se & propriâ inclinatione mutatur. D. *Fernel. Physic.* l. 3. c. 10. & firmatur in Esse Appropriato Individui, ut magis sit hæc, quàm illa ætas D. *Zach.* Q. m. L. l. 1. t. 1. Q. l. Rectè *Hippocrates*, l. 1. d. *morb.* differre corpus à corpore, ætatem ab ætate, affectionem ab affectione, curationem à curatione; tempus â tempore, in quo ægrotârint. Non mirum est, in terram reverti id, quod extrâ ortum traxit, quippe dum *genus durum summus experiensque laborum. & documenta damus, quâ simus origine nati. Ovid. metamorph.* l. 7. sed, an Creator benignus in naturâ primario suô instituto coagula calculorum in homine intenderit, illosque intus hostes procreare voluerit, & confirmare in propriam necem, vim facit cœlesti bonitati, & primævæ naturæ contrariatur integritati. Dolenda certè atque nimium miseranda esset, divinæ in nobis imaginis conditio, quæ nos subter legem insanabilis illius calamitatis hactenus subegisset à creatione usque adeò, & ante peccatum, ut tàm abjectæ rei sculptrum essemus; Deberemus nimirum calculosi fieri, ut saxa & rupes repræsentemus, omnesque omninò calculosi essemus ex æquo. *Helmont. invent. tartar. in Morb. temer.* Dari autem calculos in homine, veritas est omnium fide & assensu sancita. An verò solùm & primariô in iis, quibus in domo cœli octavâ sub nativitate diurna junguntur *Saturnus* & *Mercurius*, malignâ & peculiari gorgonicâ influentiâ, sit penes Jatromathematicos? Omnis & totus homo capax est ad λιθίασιν, vel talis esse posse præsumitur, utut nunquam fuerit, aut futurus sit in suo Individuo. Seorsim *arenæ calculorumque* generationem adjudicat *Cous* f. 3. a. 26. (α) *Illis*, qui grandiusculi & *annis infantilibus jam provectiores* sunt, à dentitione usque ad pubem, idque vel ex intemperantiâ ac ingluvie, exuperante humido crudo & frigido, à calore adhuc pauco ac debili non sufficienter resolubili; vel propter acorem quasi λιθοποιητικὸν, ætati infantum proprium, quô humiditates potenter incrassantur atque indurantur in appropriatis locis, ut ob infirmitatem delicatæ texturæ vix impediri possit, quin calculi coëant, pueris sæpius vesicales, quàm renales. p. ob crassitiem urinarum, quæ in renibus minus, ac in vesica moram trahunt, fortiori eâ ætate illorum facultate expultrice, p. ob longiora mejendi intervalla, diuturniorem somnum urinamque minus acrem, p. etiam propter remanentiam in fundo vesicæ crassæ fecis in urinâ, quæ tota non evacuatur, sed quoad portio-

nes

nes suas residuas coagmentandis calculis maximè idonea est. *Galen. Commentar. in libr. sext. Epidem.*

Insuper ex minus validâ viscerum structurâ & liquorum gastricorum, maximè illius, qui primæ digestioni præest, nondum exaltato vigore nutritionis suæ interdum satis paradoxæ errores graviter perferunt infantes, & fœcunda inde morborum semina sparguntur, totâ vitâ fructus ferentia. Nec pubertatis s. adolescentiæ genitalis spatio sanguini inspiratus fervor, & reliquorum viscerum functiones modificans contractas sub ephebis labes semper auspicatò corrigit & emendat, imprimis, si character hæreditarius subdelitescat, qui incipit affligere, quam primum juxta dominum κράσεως nativæ aut datâ occasione suscitatur, non ita strictè aut absolutè, prout ipsi terminus dies, hora & paroxysmus ipse eruptionis assignatur ab *Hippocrate in aphorismis, aut alibi*, qui v. g. pueros *arthritide* non prius laborare scripsit, s. *6.* a *30.* nisi venerem exercuerint, s. apti facti sint, generare semen ejusque copiâ & turgescentiâ cogi ad multiplicationem sui, quod accidit utrique sexui ab anno decimo quarto & quinto, inchoativè. DD. *Wedel. physiol. reform.* c. 16. scil. quando è spermate parentum podagra vel arthritis non exortæ fuerint, vel è Lue Venerea, *Hippocratis*, utinam! etiam nostro ævo incognitâ. D. *Heurn. Comment. istius aphorism.* Et' in ætate puerili fœturam Salium ordinariè minus exuperare, asserit idem DD. *Wedel. in aphor. aphorism.* cujus porismatis, salvo Hippocratis eorumque, qui ejus authoritatem circa veritatem aphoristicam ceu propriam vitam tuentur, Honore, firmitatem aliquot notabilia arthritico-podagricorum puerorum exempla frangunt, quæ, si lubet, legantur in E. N. C. D. j. a. 8. O. 12. D. *Bonet. Med. Septentr.* p. 2. s. 3. O. 22. ac in *Histor. morbor. Wratislav. ann.* 1702.

Quod argumentari de calculis puerorum quoque valebit, qui ferè primis mensibus annisve è calculosâ κακοπραγία proveniunt æque maturius ac ab aphorismis *Coi* expectatur. Quales è propriâ praxi non pauci specialius monstrari possent, etiam formâ & magnitudine visu memorabiles. Ne tamen videar meæ praxeos vel experientiam vel laudem ambire, meis observationibus substituo trinas alias celebrium medicorum historiolas. *Primam* DD. *Dolæi.* Filius quadriennis ischuriâ laboravit; medici causam augurati sunt in vesica ex absentia doloris in lumbis, perpetuo desiderio urinandi & tumore in pube. Sed cùm neuter è parentibus pueruli, nec quis ex avis unquam

 calcu-

calculosi fuissent, dubitatum, utrum urethra occluderetur à calculo, an à materia urinæ crassa & pituitosa? Consilium datum pro applicando cathetere, ut certior fieret causa obstructionis. Ad crastinum diem dilata operatio, & interea calculus nuclei pini crassitie ad medium urethræ protrusus, ac aperto per incisionem urinæ ductu feliciter extractus fuit. E. N. C. D. 2. a. 7. O. 130. *Secundam* DD. *Binningeri.* Puer octodecim mensium continuò ejulavit, alvo laxâ & rigidulâ virgâ, quam manibus indesinenter premebat, & è qua aliquot guttæ urinæ magno conatu gemituque stillabant. Vesicæ calculo dictum illum laborare. Perinæum *Decocto* è *malva*, *violis & chamomilla* cum *lacte* sæpius foveri jussum, & pulvis leniter diureticus cum *aqua* Saxifragiæ exhibitus fuit. Illa ipsâ die calculum album asperum nisu maximo propulit, ab omnibus doloribus inde liber. *Cent.* 4. O. 14. & *Tertiam* DD. *Mortoni.* Puer semestris, postquam aliquoties sabulum excrevisset, tandem majusculum corpus per urethram protrusum à præputio impeditum & detentum fuit, & cum illud inflammaretur, & ab urinæ acredine magis constringeretur, quam ut exitus calculo daretur, ibi per biennium hæsit, & à primâ pollicis magnitudine ab effluente cum lotio & accrescente materiâ tophaceâ ad quinque pollicum molem auctus est, quam cùm puer diutius ferre non posset, præputium cultro discissum, atque ita calculus in tria frusta diffractus excidit. *Act. Erud. Lips.* a. 1713. M. *Octobr.* D. D. *Riedlin.* a. 1695. M. *aug.* O. 30. & DD. *Harder. in apiar. Obs.* 78. c. *Schol.*

(β.) *Senibus*, si computetur cum D. *Heurnio in comm. ad Hipp. aphor.* 31. s. 3. Senium ab anno 50. ad 60. 70. & ultra ad supremum vitæ: quippe in his ob naturam annorum pluritate imbellem, fatiscentem ac ferè oppressam principia vitalia notanter remittentia, secretoriorum & depurantium viscerum, potissimum renum ac vesicæ ataxiam, phlegmatis sanguini & lymphæ remixti vappescentiam, ac acidi salini viscidi multitudinem, quod defectu calidi nativi ipsarumque partium pro incolumitate œconomiæ constitutarum languore lentâ associatione excoquitur in gluten, & ex hoc in calculum unum vel plures, ex quò tubulorum pororumque in renibus collabascentia succedit, urinæ porta oppletur, tandem suppresso omni lotio, quô multi viri senesque cæteroquin sani & hilares dolorificè necantur miserâ morte, quibus flebilis vitæ status est, mortis causam diu & certò præscire, nec illi opitulari posse. Nam in quibus stranguria, si renibus nullum

malum antecesserit, timeri vesicæ lapis debet, qui ob languidum mictum tardâ congestione illic generetur: fit etenim post mictionem concretio in omnibus, qui quacunque causa languidè mingunt, id verò pueris, & in senibus magis, quibus proprium est, languidè mingere. *Valess. in aphor. Hipp.* 26. & 31. s. 3.

Ipsa senectus sine morbo morbus est, tardante senio gelidus sanguis adeste hærentque effœtæ in corpore vires. Calor deficit, spiritus dejiciuntur, sanguis defervescit, ejus particulæ balsamicæ volatiles mobiles fiunt gelatinosæ, succedunt terrestres, fixæ, salsæ, acidæ, pituitosæ, frigidæ, partium tubuli non satis patent aut dilatantur, adeoque attrita & consumpta sunt, quæ ante vegeta fuerunt, & singula hæc pathemata multiplicant labores senum, iisque interitum minantur. *Ill.* DD. *Camerar.* b. m. *Diss. d. Valetud. Senil.* Vesicæ dolor te inquietat, epulæ sunt parum dulces, detrimenta continua. Quid igitur sibi optat, cum quis optet senectutem? *Senec. in Epistol.* Id solum beneficii habere creduntur οἱ γέροντες, quod pestilentiam minimè sentiant, aut aliis morbis malignis, contagiosis, corripiantur, ob sanguinem non amplius multum opimum ac particulis generosis minimè refertum, qualis est juvenili & virili ætate, sed paucum, frigidum, vappidum, glutinosum, quammaximè hinc aptum ad retundenda spicula acuta, quibus armatum est malignum μίασμα. D. *Ramazin. Diss. d. Constitut.* a. 1692. Verè sic Hippocrates, s. 2 a. 39 *Seniores ut plurimum juvenibus minus ægrotant*, rarius, & non tam multis acutis morbis tentantur, frigidum est corpus senum, propterea tam calamitosa vehementia iis non supervenit. *Sed quicunque ipsis diuturni morbi eveniunt*, in specie connutriti, qui longè & multum exercent, simul per dies crescunt, ob similis corporis densitatem materiæque contumaciam, quales sunt podagra & calculus, *plerumque commoriuntur.* D. *Heurn in Comm.* totum quippe naturæ fundamentum in cardine caloris versatur, s. digestivi & transmutavi, s. radicalis & elementalis, s. quocunque modo, loco & gradu potentialis & virtualis, qui, uti vitæ gubernaculo præsidet, ita, cum senectute penuriâ, pauperie & ex siccitate totius frangitur perit & extinguitur. *Helmont. Calor efficient. non diger. sed excitat.*

Quæ tum *Coäca* tum *Belgica* prognosis fatalem forsitan vitæ & morbi terminum *meæ* quoque *lithotocæ* designat, quæ sicco sanguine torrida, multis annis non amplius menstruata & vitiosis saburris fœculentiisque tartareo-cholericis onerata, fieri dehinc solitâ palindro-

 me

me recrementorum primitus ab utero ad renes & veſicam, calculos antehac aliquoties genuit, & generabit porrò, ſi ſupervixerit, pronunc quidem *Quinquagenaria*, ſuum ſenium modò auſpicans, quinimò ſenis nomen & omen jam promerita, ſiquidem quod ad complementum *Senectutis* annorum deberet ſuperaccedere, juventutis & reliquæ uſque hac ætatis dura tranſactio, longa egeſtatis tolerantia, humoribus uſurâ ciborum craſſorum inducta lenteſcentia, & vitioſè mixta complexio id dudum compensârunt. Scivit, ſe à patre Calculoſo, minimùm, qui talis judicabatur ex lethali iſchuriâ, quâ moriebatur, ſatam fuiſſe, ſed neſcire primùm voluit, ſe eâdem lithiaſi convictam eſſe, utut *cum urinâ mucum* & *arenam* minxerit, ſi non etiam minutos calculos, adhuc granulatos molles & ſub mictione elabi non obſervatos, effusâ ſtatim, vel diu in eâdem reſtitante putridâ urinâ obcruſtata matulâ. Sunt, quibus omni ſpænè vitâ ψαμμώδεα ἐν τῷ οὔρῳ, vel ſubinde σαρκία μικρὰ, vel πιτυρώδεα, arenoſa, carunculæ parvæ & furfuracea, ſubſident, hypochondriaci, ſcorbutici arthritici, & qui pultem mingunt, ſine calculo veſicæ aut renum morbo, *contra Hippocr. aphor.* 76. 77. 79. ſ. 4. Urinam chyloſam ultra 40. annos absque ullo renum & veſicæ vitio emiſſam, & quæ cremorem album lactis inſtar craſſioris in fundo ad duo cochlearia depoſuit, quæque aliquot diebus mutata fuit in Sal pellucidum, in fibras ſciſſum guſtuique ſalſum. D. *Sachſius in Schol.* ad *obſ.* 89. D. j. a. j. Urinam furfuraceam variolarum prænuntium, non calculi aut ſcabioſæ veſicæ indicem vidit D. *Garmann.* E. N. C. D. j. a. 3. O. 203. & in hypochondriaco urinam obſervavit D. *Paters. Hain.* qui, ubi in vitro ſtetit per noctem, in lixivialem ſalem congelaſcere cœpit, ut cultro ſcindi non poſſet D. j. a j. O. 63. mihi, *ſcribit Cardanus*, ab annis 30. urinæ rufæ prodeunt, nunc etiam albæ quotidiè & copioſè, & quod longè majus eſt, toto decennio tantum albæ arenæ adhæret parietibus adeò concretæ, ut intra 15 dies, ſi non abluatur, intus tota lapideſcat matula, omninò citra calculum; *Comment. ad aphor. Hippocr.*

Sunt, qui urinam emittunt actu frigidam & viſcidam, ac in matula viſibiliter in lapidea fruſta concreſcentem, qui calculos non geſtant. Filia bimula ex dolore hypogaſtrii, quod manibus continuo preſſit vehementer ejulans cum urinâ albâ mucaginoſam ſubſtantiam excrevit, ab admiſſo aëre in ſubflavum & oblongum calculum concretam, duritie quemvis alium æquantem. Adeò, *Subjungitur*, pervulgatum

tum eſt, in humano corpore calculos generari, ut nulla pars ſit, quæ illos non dederit; Calculum autem extra corpus iu momento generari, inter rarò contingentia numeratur. D. *Bonetus, med. Septentr.* p. 1. l. 3. ſ. 29. vel, qualem urinam vitro fuſo quoad lentorem & pelluciditatem conſimilem, & poſtquam aliquot annis ardore urinæ affligeretur, Siliceos calculos ſplendentes ejectos in Viro ſanguineo-cholerico-melancholico notavit DD. *Hofmann* E. N. C. *Cent.* 4 O. 110. Curioſum non minus eſt, urinam tractu dierum *Calculosâ cute* ſupertendi, quod D. *Binnigerus* de ſeipſo ſic teſtatur. *Cùm mihi iter ſuſcipiendum eſſet, reliqui in muſeo clauſo matutinam meam urinam. Protrahitur abſentia in 6. ſeptimanas. His elapſis domum repeto. Aperto hypocauſto reperio in vitro relictam urinam cute densâ ſubviridi opertam, ſed lapillulis lucidiſſimis tri- & quadrangularibus numeroſiſſimis inſtar adamantum perſperſam. à Calculo autem hactenus* DEI gratia! *liber fui. Cent.* 1. O. 6. quamvis à *Calculoſo Patre* dyſuriæ & ſtranguriæ quater annuatim obnoxio cum dolore abdominis ad lapidis duritiem diſtenti, circa pubem & urethram acutiſſimo, genitus, & quô malo Pater commortuus eſt. *Cent.* j O. 93.

Fuit, qui prævio non adeò dolorifico pubis & perinæi pruritu ad mejendum continuò ſtimulatus cum urina duos nucleos prunorum antea comeſtorum excrevit, falsò Calculoſus habitus. D. *Jægerſchmid.* E. N. C D. 3. a. 2. O. 150. Fuit, qui prægreſſis torminibus & prurigine interfœminei 20. lapillos piſiformes in matulam depoſuit, deglutitis paucis ante diebus piſis, de Calculo nunquam ſomnians. D. *Pechlin.* D. j a. 9. & 10. O. 33. Fuit, qui ſemel pro ſemper dolore Renalis Calculi tentatus, & ſummâ tum neceſſitate urinandi adactus cum *Miræ quantitatis lotio* unâ exploſione 30. calculos in terram minxit, glandium inſtar è ſclopeto in orbem ſparſos, rotundos, glabros, anguloſos, maximò nucem avellanam magno, qui ſubſiſtens in Centro Circuli quaſi rex & dux erat reliquorum. *Idem.* l. 1. O. *Phyſ. Med.* 8. d *imbr. calcul. urinoſ.* Paſtor octogenarius toto ſuo ſenio Nephriticus ſæpè granula & minores calculos reddidit, urinâ non imminutâ aut ſuppreſsâ, & cæterâ nihil impeditus in officio. Pronuper 24. horarum iſchuriæ causâ anxioſiſſimè catheteriſmum petiit & ſuſtinuit, illicò liberè fluxit multa urina, & cum eâ excreti ſunt duarum horarum intervallo 63. calculi hordeo, piſo & fabâ magni. *Ex propr. Prax.* Mercator itidem octogenarius, cæteroquin ſanus, nec diætæ er-

roribus deditus, cum insuetum vinum bibisset, aliquoties cum urinâ parvulos calculos absque dolore & incommodo alio, quàm exiguo solum urinæ ardore excrevit, optimâ inde valetudine aliquandiu gavisus. Post dimidii anni decursum urinâ clara sanæque simili, pulsu autem debili, æquali tamen, existentibus atrocibus in abdomine doloribus correptus fuit cum totius lassitudine, ut mortem sibi instare ipse crederet. Epotis circa vesperam aliquot unciis *Vini Neccarini Hispanico* admixti, noctem tranquillè peregit, & manè urinam emissurus 70. calculos pisorum magnitudine glabros, rotundiusculos, variè tamen ex mutuo attritu vel attactu in lateribus depressos, duros, exterâ crustâ flavescentes, interius colore obscuriores; ut & altero die continuato haustu 66. pluresque alios sequentibus diebus, scil. spatio quinque dierum ultra 300. eminxit, de alio insultu calculoso postea amplius non conquestus. *Perillustr.* DD. *Schroëkius*, E. N. C. D. 4. *Cent.* 3. O 92. Et filius 10. annorum per 6. menses pallidior & segnior, quàm solebat, à ventriculo multum excruciari, ac motibus simul per intervalla spasticis elevari cœpit, succedente tandem *magno cum Fragore* Vomitu lapillorum nuces juglandes æquantium & superantium. Urina tum ferè omnimodè suppressa erat, eapropter suasu vicinorum super cineres calidos minxit vaporemque excepit. Auctis verò doloribus & urinæ retentione *aquam petroselini* largiter epotavit, & iterum lapillos nucis avellanæ magnitudine majores & minores unâ vice ad ℔ ß. acuto dolore cum urina enixus est. Remanente nihilominus, nisi *decocto petroselini* juvaretur, urinæ impossibilitate, urgere etiam pergentibus oppressione præcordiorum, singultu & motibus convulsivis ordinavit medicus *leniter diuretica, emollientia* & *anodyna* in- ac externa, è quo facilius & multò minori dolore lapillos iterum excrevit, non quidem quotidie, sed octo circiter diebus ultra 1000. per urinas pondere ℥xij & per vomitum numero 50. ℥jx, pendentes. D. *Scherbius*. *Ibidem Obs.* 8. Adeò quàm insecura quies in iis, qui vel semel calculis infestantur, aut eorum seminia ac rudimenta intra se occulunt. Pejoris recidivæ & semper majoris periculi metus. Commoda tamen hæc solertis naturæ prophylaxis est, quâ sabulum & lapillulos maturè everrit in matulas, impedito calculi majoris aut plurium augmento.

Intensius dolent, qui e renibus aculeatos, asperos, pungentes aut quamvis læves sint & rotundi, amplitudine sua exilem urethe-

run

rum tubulum violenter distendentes descendere sentiunt, & vesicâ prius emandant, quam durius aut in majus concreverint. Miserrimi sunt, qui in vesica magnis calculis onerantur, quos natura medicus & lithotomus frangere, solvere & exscindere nec possunt nec audent, reservandi fato vel ad vitam vel lethum. Signa verò etiam ordinaria propria & pathognomonica fallunt plerumque ad indubitatam calculorum præsentiam, imprimis, si pituitâ vestiuntur, & saltem obtuso, obscuro, ac leviusculo dolore afficiunt, vel analoga litthiaseos pathemata opinionem medicorum de Calculis non sine rationibus obfirmant. Vir sanguineo - biliosus ob itinera variis erroribus diætæ subjectus, & â juventute stranguriâ sæpè afflictus, nonnunquam totali urinæ suppressione correptus fuit, ut cereâ cannula urethræ immissâ illius fluxum redintegrare opus haberet; ingravescente non nihil ætate morbum comitabatur mictus frequens & dolorosissimus brevì ante & sub effluxu, singulis ferè horæ quadrantibus aut semissibus ad summum reiterato, urinæ scil. paucæ sine interruptione vix cochlear unum vel alterum unâ vice excedentis crassæ, opacæ, pallidissimæ & instar lotii putrefacti, ad ignem disparente quidem, sine tamen liquoris clarescentiâ, juncto ut plurimum sub excretione ejus alvi simul fluxu aut conatu egesturiendi, ac vice versâ: accedentibus quoque siti ingenti, lassitudine & variis stomachi pathematis. In quô rerum statu à diversis diversè tractatus sine levamine per integrum annum molestam vitam duxit. Posthac deductus peregrè ad Experientissimum Medicum productu signorum curari voluit methodo Calculi cum exulceratione partium urinalium. Facta digito chirurgi exploratio in ano, & cathetere per vesicam, præscripta *acrimoniam seri temperantia diuretica, blandè abstersiva*, & *balsamica vulneraria*, *emulsiones attemperantes* & *terebinthinatæ*, *leniter laxativa*, *roborantia*, & *anodyna* interposita ob juges vigilias, quoniam noctu pertinacius affectus urgebat, non omissis externis per *linimenta fotus* & *injectiones*. Iterum elapsus est annus totus cum dimidio. Exhinc intumuerunt & doluerunt magnâ tensione pedes, ascendente per femora ad abdomen œdemate, & erumpentibus simul exiguis hinc inde vesiculis in dorso pedum ac tibiis insigni ardore, ruptione, spontaneâ exulceratione & quasi gangrænescentiâ, quæ topicis sublata fuit, perseverantibus reliquis symptomatibus in antiquo tenore, usque dum ob dolores pubis intolerabiles, continuos & miserandos per plures dies inter

ejula-

ejulatus & ſub aliquali mentis alienatione, dehinc paralyſi ſiniſtri lateris & motibus ultimò convulſivis miſerè de vita deceſſit, anno ætatis ſexageſimo. Ren ſiniſter nonnihil major, dexter contrà parvus & valdè emarcidus, utrique ut & veſica ſine Calculo ſabuloque ullo, niſi quod hæc in ſuperficie internâ tum tota nigricans, tum regione illâ, quâ inteſtinum rectum ipſi ſuccumbit & connectitur, leviter intus excoriata & exulcerata conſpiceretur. D. M. *Preuſſ. obſ. Cur.* d. *Calcul. veſic. ſign. ſin. Calcul.* D. *Pechlin.* d. *calcul. mendac.* &c. ita ut vermes ſpaſmi & fracedines veſicæ communia cum calculis indicia habeant, aut ſaltem ſub ſpecie dyſuriæ aut infectionis harum partium ſcorbuticæ. D. *Drawiz.* vom ſchmertzmach. Scharbock. *tit.* 9.

Interdum decipit colica flatulenta, modò lithiaſin antecedit comitatur aut ſequitur arthritis, nephritidi conſanguinea, ac nodoſa chira- aut podagra, quando circa articulos lympha tartaro & ſale acido fixo fœta ſubſiſtit, tumores facit, tendit, terebrat, lancinat, rodit, pungit ſpaſmodicè, irritat, doloreſque vagos fixos univerſales, particulares, graviores, leviores &c. inducit, cum vel ſine aliis nephritidis aut calculi ſignis. Gravis quippe tortor eſt veſicæ calculus, cujus diagnoſis & cura valdè ardua, diverſis enim ſymptomatibus exercentur, quæ ipſi non ſemper propria ſunt. D. *Helvvigh in Conſil. med. d. Calcul. Veſic.* Si ſomnium indicaret nephritidis calculorumque paroxyſmos? quod literato juveni accidit, qui Somnium ſuum literis ad medicum ſic expreſſit. *Viſum eſt mihi in quiete, urinam diu ſuppreſſam copioſam tandem me reddidiſſe. Mox ubi reddita eſt, de novo ſurrexit mingendi pruritus, cui vix ſatisfactum eſt, & alius dennò oritur priori multo auctior & intenſior. Huic ſuccedit alius, iſti rurſus alius, & urina ſemper uberior. Ad hoc phantaſma evigilavi ſtupens, lectum ratus hoc imbre* totum *totum permaduiſſe. Vix aperio oculos, & juxta ſomnium ſuboritur illud mingendi deſiderium. Surgo ergò & de facto urinam reddo. Ubi lectum repeto,* ECCE! *ardorem acutiſſimum in balano perſentiſco pungentem & ſtimulantem continuò ad mingendum.* &c.&c. Calculum à rene prorupturum eſſe, dixit medicus. Totâ poſt die urina lixivioſa cum dyſuriâ, ſucceſſerunt immanes cruciatus, nauſea, vomitus, iſchuria, pedis è directo tremor, pondus circa veſicam, ac ſi libra ibi penderet, dolores vagi, incurvatio ſpinæ dorſalis & varii alii aliarum partium, qui de ferociâ ſuâ non remiſere, uſque dum ſexto die largiter urinam reddidit & cum ea lapillum fuſcum, anguloſum & turbinatum, qui conſedit in matulâ. *D. Binninger. Cent.* s. O. 87.

Ergò

Ergò Somnia non vilipenda, quia non ſemper vana aut de nihilo ſunt, etiam propter eorundem conſiderationem medicam, de deliriis cùm ſanorum, tum febricitantium, quæ ſanè mirabilia eſſent ſuperſtitioſa nonnaturalia & magica, niſi judicarentur à peritis & ab omni præjudicio liberis philiatris, ſiquidem non quibusvis, ſed ſolenniter huic negotio deſtinatis Viris poteſtas data ſit interpretandi ſomnia, quod non fiat contra honorem DEI, authoritatem Sacri Codicis, ſolatium Chriſtianorum & quotidianam experientiam. Denotant enim quoad Nomenclaturam Prognoſticam juxta actiones motitationesque vitales ab anima in corpore inſtitutas aut exceſſum aut defectum humorum, aut aliud quid ſanitati ac ſtatui naturali incongruum, ſ. in corpore hærens, ſ. forinſecus obverſans, inſuper temperamentorum ſigna ſubminiſtrant indicantque morborum ipſorum magnitudinem, eventus hincque ſalutis humanæ reconvaleſcentiam aut periclitationem, eò clarius & certius, ſi ſæpius recurrant, & idem noctu animæ per ſomnia repræſentetur. *Hippocr. d. Inſomn. Galen. d. præſag. ex inſomn.* D. *Kulmus tract. phyſiol. phyſ. theoret. d. Somn.* c. 1. §. 13. c. 3. §. 30. c. 5. §. 6. & 8. D. *Franc.* E. N. C. D. j. a. 4. & 5. O. 104. D. 3. a. 1. & 2. O. 24. & 36. D. *Lanzon.* & D. *Bauzmann.* in admirando Exemplo Hyſterico-Ecſtaticæ Virginis, vel alii ὀνειροκριτικοί.

Calculorum hæc etiam fraudulenta petulantia eſt, aliùs morbi ſimplicis vel complicati ſchema prætexere, vera ſui ſigna occultare, invertere vel confundere ad benè longum tempus, ut & hic κρίσις χαλεπή, judicium difficile ſit, *Hipp.* ſ. 1. a. 1. & medicus *monito Illuſtr.* DD. *Riedlini*, an calculus præſtò ſit? ſemper ſententiam ſuam ſuſpendere opus habeat, nequicquam edicat, quod famæ ſuæ gloriæ & authoritati medicæ labem mendacii aut inſcitiæ affricare poſſit. Tantum quippe latent falluntque ſubinde calculi, ut opprobrio medico eſſe non debeat, ſolo στοχασμῷ judicare de iis, aut aliis corporibus quæ ſub ſpecie calculorum mirificè deludunt, magis, quàm præſenti periculo ſub ſectione ægrum, ſemetipſum verò ignominiæ exponere. *Lin. Med. M. Nov.* a. 1695. O. 14. & D. *Pechlin.* O. P. M. O. 2. *d. calcul. explor.* Utpote *mea Lithotoca* aliquot ante annis dignius haberi meruiſſet hypochondriaca, ſcorbutica arthritica, quàm Calculoſa, è paſſionibus tum ſuis ſ. *Roſionibus, puncturis, ſpaſmis, vellicationibus doloribusque* eriſypelaceo-rhevmatico-articularibus, in *lateribus colli, femoribus, brachiis, artubus &c.* aliisque in ventre infimo gravationibus, Scorbuto artuum & hypochon-

chondriorum morbis aliàs Individualiter propriis, ſororiantibus nempe inter ſe malo hypochondriaco, Scorbuto & Calculo. Dn. D. *Wedel. Exerc. Semiot. Pathol.* c. 65. d. *arthrid. ejusque Specieb.* at verò locis ſuis relicti uti quieſcunt ſilentque, ita laceſſiti ob pluritatem, magnitudinem, inæqualitatem, aut eos hoſpitantium partium anguſtiam ſubitaneos dolores inferunt, ac totam corporis compagem ad compaſſionem ſatis vehementem & inordinatam trahunt. Qua ſympathiâ cenſui morbificarum p. n. cauſarum inferri debet calculus, cùm ratione modi, quô afficit, tum effectuum, quos producit. Agit enim ceu durus, aſper, ſtimulans, pungens, gravans, & corpus contra ipſum reagit ac molitur ſuis viribus, fiuntque multa à calculo, & multa ob calculum. *Magnif.* Dn. D. *Camerar. Senior, d. Calcul. Ren. & Veſic.* Nulla pars non patitur, extensâ triſti ſenſatione à viis urinalibus ad vicinas & remotas partes, per ventres & artus, prout calculi ſtatus eſt, quietis aut turbarum intermiſſionis aut paroxyſmi, fientis & facti, ut credi poſſit, totum hominem quandoque converſum fuiſſe in miſerias & dolores. Singuli verò fixi ſunt, aut mobiles ſ. inconſtantes, plerique ſpaſmodici ab objecto extraordinario moleſto & hoſtili, & eô præſente irritati ſyſtematis fibroſo-nervoſi certiſſimi teſtes.

Talis eſt ἀνωῤῥοπία ſ. *ſurſum tendentia*, quando nephritici & calculoſi *nauſeant vomuntque* cibos, potum & liquamina acida biliosa, furente ob doloroſas nervorum partiumque fibroſo-nervearum vellicationes inordinationesque archeo, & totâ naturâ δευτεροπαθῶς iraſcente, prout calculus increſcit, movetur, promovetur aut paroxyſmatim ſuas turbas infert, & cùm redundârint dolores, æruginoſa, flava, corrupta, putrida graveolentia. *Hippoc.* l. 6. *Epid.* & alia, ſi quæ ſunt, pro ſtomachi eique ſubjacentium ac compatientium viſcerum ἀκρασία ſ. intemperato ſtatu. Ventriculus ejusmodi ἀναλγοπῆ conturbatur, ut cibum horreat & eructet, nec tantum alimenta, ſed & excrementa primum pituitoſa ex ventre imbecilliori, mox bilioſa ex jecore & venis. Commotis enim humoribus maximè ejiciuntur, qui tenuitate ſuâ ſequaces ſunt, hincque doloris vehementiâ, cibi abſtinentiâ & ſomni vacuitate corruptus ſanguis facillime in bilem vertitur primò flavam, poſt viridem & ærugineam. D. *Menjot.* d. *Nephrit.* Apprimè hinc D. *Baunerus* d. *Conſenſ. part.* Videmus organa corporis ad easdem actiones concurrentia amicè conſpirare, & perpetuum inter ea conſenſum manere: dum rectè ſe habent, mutuas operas officiosè ſibi locant, dum adverſi

adversi aliquid evenit, condolent & compatiuntur; adeoque quoniam ventriculus multarum ægritudinum summus artifex, sic æquum est, ut ille de aliarum partium afflictionibus etiam aliquid sentiat, quod peculiariter observatur apud hystericas, hypochondriacos, apoplecticos, colicos ac nephriticos s. calculosos; fundatâ communicativæ cöaffectionis causâ inter anatomicos in cohæsione, necessitudine & mutuâ dependentiâ *plexuum Nervosorum majorũ stomachici, Hepatici, mesenterici & Renalis*, originalium è ramo sextæ conjugationis, qui coepta in renibus uretheribus & vesica ex locum mutantis calculi inquietudine, & inductis cum dolore spasmis momentanea velut tractione in unum finem conspirant stomachumque ad contractiones & explosiones vomitivas impellunt. Et Dn. D. *Wedel.* Nullum viscus in toto microcosmo majori confœderatione gaudet, quàm stomachus. Dispensat hic singulis sua, omnibus compatitur, à singulis noxa in eum redundat. Omnibus amicus est, à quovis ergò συμπαθείας signa mutuatur. Omnibus præest, unde primus facilè peccat, & aliis peccantibus primus afficitur. Hic quasi alterum offendere licet cor, caput, renes uterumque. Adeò in se tàm promptè suscipit vitia, ut ipsum solum affectum credi debeat. Ipse quidem satis propriis cum morbis conflictatur, simulat tamen suos non rarò, qui alius culinæ sunt. Quin totum corpus, si ventri benè, benè habet, & si totum patitur, Ventri malè esse oportet. *Diss. d. Singult. in febr. malign.* Imò mineram sabuloso-calculosam ad ventriculum sursum pelli, & vomitibus ejici, doceat hæc Historia. Vir literatus sævissimâ nephritide per quadriennium laboravit, at vix arenas calculosque emingere cessaverat, incidit in cruciatus crudelissimos sinistri lateris sub costis circa lienem, & dolor brevi spatio circumscriptus ad ventrem & umbilicum porrigebatur: Accessit frequens & laboriosus vomitus cum angore & gravi cardialgiâ. Rejecta materia quoad colorem erat è rubro nigricans, pultis consistentiâ crassa tenaxque, in quâ dum bacillo agitabatur, multi calculi cineritii & subflavi inventi sunt, quales per urinam primò excreverat, non semel, sed quoties vomeret multo conatu, vel quoties talis dolor repeteret. D. *Schneider.* d. *catarrh. & generat. arenar. in sanguin.* l. 3. c. 7. & l. 4.

Aliquibus sola præcordia dolent cum ardore & pondere magno in scrobe, ut millies optent vomitu levari ignemque intus Frigidâ extinqui posse, quam ubertim matutinis plurimum horis bibunt, non

tamen sublevati usque ad mortem, quâ detecta non semel fuit cardialgiæ causa vel tartarus ad totam superficiem stomachi agglutinatus & coagulatus, vel calculi in fundo ejus aut confiniis tenuium intestinorum, ad ovalem magnitudinem, & pondus aliquot unciarum. D. *Bonet. Sepulchr.* l. 3. f. 7. O. 29. Vir nonagenarius à trigesimo anno ad seram ætatem singulis diebus manè jejunus haustum aquæ frigidæ fontanæ ebibit, & cùm nullâ inde ægritudine infestaretur, sibi persuasit, potationem istius aquæ ipsius tum sanitatis, tum longævæ vitæ rationem haud minimam extitisse, donec paucis ante mortem mensibus acerbum dolorem circa regionem ventriculi percepit, in cujus dissecti fundo Calculus Nuce avellanâ magnus repertus est, reliquis optimè sanis visceribus D. *Schulz* E. N. C. D. 1. a. 3. O. 86. Huic forsan melius conduxisset, si ex consilio non irrationali veteris medici D. *Cardani* loco frigidæ aquam simplici Decoctione ad temperiem, tenuitatem, & ut vocat Quintam essentiam accommodatam hausisset. Hæc enim, *scribit ille*, vires omnes conservat & vitam producit. Cùm tenuissima sit, miscet se humido primo, penetrat solida, ac excrementa separat, quæ in illo continentur. Quia calidum multum habet, ejicit, quod impurum est naturalemque ob id calorem instaurat; nihil enim senectus est, quàm calidi nativi imminutio. Neque ista aqua cor vexabit, neque jecur, sed præstabit sola hæc ad vitam longam. *d. Subtilit.* l. 2. D. *Baglivus* l. 1. *Pr. Med. append. d. calc. & podagr.* & D. *Riedlin. d. Cardialg. in calculos. lethal.* L. m. 16. m. *Jan. ann.* 1597. Sicuti etiam exterius *Hippocrati* Aqua Calida fomentorum calidorum probatissima est. d *Vict. ration. in morb. acut.* l. 2. n. 2. quippe τὸ θερμὸν θέρμασμα, quod intercisis spatiis, non perpetuò admovetur, nî fieri velit ἐκπυητικὸν purificum f. suppuratorium, aut capax pro pepasmo ulceris, præclarè ad salutem apparet & facit cum securitate, cutem emollit, dolorem sedat, rigorem, spasmum & tetanum mitigat: amicum quoque & decretoriu est sedi, pudendo, utero ac vesicæ. *Idem.* f. 5. a. 22. Cùm dolor oriatur ex macri succo, qui fibras mordet, aut ex copioso, qui mole premit ac distendit, acorem aqueæ particulæ debilitant dissolvendo, attemperando, & copiosum adapertis meatulis ad transpirandum solicitando, aut magis fluxilem reddendo, ut pars ejus evaporet, pars redeat in vasa & circulum suum absolvat. Quo aqua simplicior ac purior; eò penetrantior est, angustum enim foramen facilius penetrat simplex molecula, quàm conjuncta cum aliis corpu-

sculis

sculis, quod fit, si herbæ incoquuntur. Optatos autem effectus edunt aquæ expiratione suâ, dum vim habent agitandi morbosos contextus ac dissolvendi eò, quòd in aqua tenuissimum, & in igne humidissimum est. D. *Anton. Valesner.* O. 104. *Cent.* 4. E. N. C. Quibus vapore ac tepore suo quamvis partem blandè concalefaciunt, ejus nativum calorem erigunt ac suscitant, humores, qui præter naturam ei insident impacti & compositi sunt, excitant, emolliunt, attenuant, colliquant fluxilesque reddunt, ut facilè sequantur, quocunque medicamentum trahit. D. *Fernel.* l. 3. *method. med.* d. *maturant.* l. 6. c. 11.

Aliud hoc signum calculorum certitudinem firmat in Pectore, ob conspicuam in quibusdam calculosis *orthopnœam*, sub culpâ affecti unius aut utriusque pulmonis, solò eo nervulo spasmodicè tenso, tracto aut presso, qui è sextâ conjugatione diaphragma percurrit, & ad renes progreditur. Ex tali suspirioso diuturno asthmate penè convulsivo quidam gravissimè decubuit; suspicio erat de vitio in pulmonibus aut adhærescentiæ aut suppurationis. Cùm orthopnoicus maneret, quæsita difficultatis in spiratione causa; Ventum est in eam opinionem, ut nihil tale crederetur existere in pulmonibus, dictum, hærere calculum in Renibus: Consultum renibus, deturbatus remediis calculus & libertas respirationis illicò restitua fuit. D. *Ballon.* l. 1. *Cons.* 46. ambigunt quippe Renes inter partes superas & inferas, si calculis obsideantur, & nervi in illorum corpus implantati ab obstruente causâ opprimantur, aut præpediti in secretione redundans serum superius demittant, aut spasmodicè irretiti cæteros medullæ spinalis nervos coafficiant. Et in *negotiatore Nürtingensi* asthma cum insigni præcordiorum pressione, qui quam plurimos per secessum calculos exclusit, cessante illicò respirationis anhelo, *notavit Illustr.* Dn. D. *LENTILIUS.* E. N. C. D. 2. a. 7. O. 136. ut egregiè hortati sint Dn. D. *Baglivus* & *Hartmannus*, Dyspnoeæ causam non semper in pulmonibus quæri debere, E N. C. D. 3. a. 2. O. 185. & in morbis pectoris semper ducendum esse ad vias urinæ (naturâ id monstrante, ac cessante asthmate superveniente dysuriâ,) cùm magnus consensus sit inter pectus & pudenda, morbique harum partium ad invicem commutentur. *Prax. med.* l. 1. *app. d. Asthm.*

Prout calculus reni inhæret, aut in diversis vesicæ aliarumque partium locis stabulatur, dormiens vel irritatus ad motum & egressum, ita ejus & dolorum phœnomena gradus & differentiæ sunt, ad

 latera

latera ſpinæ dorſi, ſub Hypochondriis, in perinæo & circa pubem. Solus aut pluribus ſtipatus, dum profundè parenchymati impactus mucoque ſimul obductus eſt, rodere, mordere & lacerare non poteſt, & dolorem eoipſo obtuſum, aggravantem, fixum diſtendentem, preſſivum non atrocem, non terebrantem, ſed per omnia mitem, quandoque omninò nullum facit. Scil. quamdiu renes labore defecti conquieſcunt, & ipſe otioſus calculus velut ſoporatus à cauſis nec externis, nec internis partiumque preſſionibus non exſtimulatur. Si verò aſper inæqualis acutus, ſimul in viâ per uretheres in veſicam deſcenſurus, tunc eſt tempus paroxyſmi, & ſi in veſicâ vel ob acutiem arrodat, vel ob ponderoſitatem premat, vel prodire foras cogatur, aut exſcindi debeat, ex attritu non tam *dolores* ſentiuntur truculenti, diſcindentes, contractivi, expulſivi undique exquiſitiſſimi tamdiu, ac moratur calculus ſub motu, aut donec lapſus fuerit in veſicam, & extra hanc arte protractus; quàm varii *ſpaſmi* in partibus, quæ calculis nec præſunt, nec famulantur, imprimis inferiores, quæ pœnas luunt plerumque erratorum partium principum, ſuperiorum. Si unâ in parte irritatur vis expultrix naturalis, ſurgit aliquando in alias, nec ſemper proximas, ſed etiam in diſſitas & prorſus contrarias, ut cunctum corpus conſentiat & concuciatur crudelibus ſpaſmis & convulſionibus non rarò lethalibus. Quod de comite & nobili virgine *Helmontius*, in eorumque renibus ac uretheribus calculos ſubſiſtentes ad uncos & triangulares obſervavit. *d. lithias.*

Familiaria hinc conſenſualia ſpaſtica tenſiva & ſtupefactiva pathemata ſunt calculoſis, *ναρκὴ τȣ͂ μηρȣ͂ κατ' ἴξιν*, *ſtupor femoris* è directo, juncto ad plantas & pollices pedis nunc unius nunc utriusque roſionis, formicationis & ardoris dolore, prout alter renum laborat, cujus nervum illi ſubſtratum & muſculis lumbaribus inſertum duritie ſuâ calculus deorſum premit, ut pes obdormiſcat, vel gravis pendeat, uti in paralyſi & contracturis membrorum, quæ accidere ſolent etiam à renibus vel lapillis oppletis vel putredine aut inflammatione infectis, Cruribus in ſpecie, ſiquidem ſpaſmus aut maligna materia in renibus corrupta ſpirituum ac virtutis animalis influxum arcere poteſt, quæ per propagines nervorum Sexti paris non tam veſicæ advehitur, quàm Spinali medullæ prope lumbos, ut vegetioris ſenſationis compos facta ea, quæ legibus naturæ moleſta ſibi ſunt, excutiat, eo autem ipſo iter ſpiritibus præcluditur, ne fluant per nervos, qui

ad

ad coxas & crura ex infimis lumborum vertebris atque ſacri oſſis foraminibus emergunt *Læl. à fonte, Conſil.* 59. Seorſim in viris *vaſorum ſpermaticorum* à renibus propagatorum *ſtrictura*, & è regione ſiti *teſticuli ſurſum tractio*, ut ferè inguini affigatur, nonnunquam cum inflammatione Cremaſteris muſculi, adjuncti illi, qui teſtem involvit, manifeſtâ notâ, magnum teſtium conſenſum eſſe, & *juxta* D. *Moeb. in fundam. med. phyſiol.* cum hypochondriis, inteſtinis, ventriculo, hepate, liene, corde, pulmonibus, mammis & thorace toto, aſperâ arteria, collo, auribus, oculis, cerebro & nervis. In utrisque ſi grandis eſt, ingens *ad pubem gravitas, tenſio* & *prurigo*, ut mares membrum contrectare extendere & mulgere, ac fœminæ pudenda ſua crebrò ſcalpere aliaque indecora agere cogantur. *Iſchuria*, è doloroſiſſimis paſſionibus non infima, aliquot dierum, interdum ad viginti, finiri utplurimúm ſolitâ morte vel epilepticâ vel lethargicâ vel apoplecticâ. Aut *ſtranguria* ſ. interciſa mictio, ut matula millies petatur, & vix aliquot guttæ mingantur niſu magno & cum fervore urethræ quaſi incendioſo; aut *mictus cruentus*, ruptâ vel exeſâ venulâ è calculo cum & ſine arenis rubris, quales nephritici excernunt; aut ſimul *purulentus*, ſ. excretio muci glutinoſo, ſanioſi ex rubro fuſci cum dolore, qui idem eſt in gonorrhœâ inveteratâ virulentâ gallicâ inter mejendum, rupto in rene abſceſſu, veſicâ exulceratâ, aut urethræ ex acumine calculi roſione, & cum fœtore magno, cùm pus è veſica cæteris gravius oleat, tum ob ſubſtantiæ in veſicâ naturam, tum ordinariam loci inquinationem, illuc defluente è ſuperioribus omni materiâ pravâ ſordidâ excrementoſâ, quæ ultra terminum ſuperſtes facilè odorem p. n. ulceroſum tetrumque acquirit, & trajectioni laticis inſignem remoram facit.

Rarius *σύμπτωμα, incurvari* aut *rigidam reddi ſpinam dorſi à cervice ad coxendicem*, per paroxiſmos aut continuatim per menſes & annos, donec remotus fuerit calculus, aut ſublatæ ab eo excitatæ ſpaſmodicæ afflictiones, vel victus ſit æger à calculo ad tumulum. Illuſtris maritus trimeſtre ſpatium tali rigore tetano-cataleptico detentus, & immaniſſimis doloribus ad deſperationem ferè redactus fuit, uſque dum aliquot uncias miaſmatis ſcorbutico-ſalini ſ. pulveris Roſei coloris, ſub ſpecie urinæ ſaturate rubentis, & protinus in ſedimentoſum magma fatiſcentis ſecrevit, mitigato paulatim vehementi dolore. *Ex obſerv. celeberr. Archiatri.* Rarum quoque eſt, *claudicare* alterutro pede ex calculo Renis. Hoſpes frequenter doloribus nephriticis & re-

num calculis obnoxius passus est obstructionem in dextro rene à lapillo duriori & grandi, ut urinæ defluxus in vesicam impeditus fuerit, nec ren sinister socii sui officium supplere valuerit aut voluerit. Natura itaque lymphæ salsæ & lixiviosæ remoram passa amandavit eam ad dextrum pedem, excitatum ulcus circa malleolum externum valdè dolorificum, substitit materia crassior & tartarea circa tendines & ligamenta pedemque contraxit, ut miserculus per integrum annum ambulandi potentià privatus sellà portari opus habuerit. Præscripto *diuretico* satis valido orti dolores vehementissimi ad renes, & tandem calculus per uretheres ad vesicam, inde per urethram foras in matulam propulsus est cum sonitu & periculo fracturæ, forma & magnitudine fabæ, siliceæ duritiei. Quô factô urina cœpit liberè & copiosè fluere, cessavit affluxus ad pedem, ulcus facilè sanatum, tendines & ligamenta robur suum recuperarunt, & pes ad ambulandum optimè restitutus fuit. D. *à Lebenvvald.* E. N. C. D. 2. a. 3. O. 70.

Nec mirum, è spasmo venarum & nervorum ipsa intestina ac totum abdomen torqueri, tendi, premi & cruciari, infrà subdelitescentibus calculis, qui scenam sic suam *Schemate Colico* ludunt. Competunt autem propriè & crebrò illis Spasmi & Flatus, nunc conjunctim & simul, nunc solitariè & seorsim ventrem exagitantes, à causâ vel humerosâ, crassâ viscidâ, tenui, subtili, volatili, plus minus acris vel spirituosâ, elasticâ, halituosâ, irritatione suâ fermentativâ vellicante, & ob communionem nervorum partiumque nervosarum vicinas alias, Ventriculum, musculos & membranas abdominis, vesicam biliariam, uretheres, renes ac vesicam ad consensualem dolorem compellente. Unde *nausea*, *cardialgia*, *vomitus*, *pressiva præcordiorum angustia*, *retractio umbilici*, *lumbago*, *alvi clausura*, *dolores hypogastrici* rodentes pungitivi contorquentes, comprimentes, constrictivi, distendentes, perforantes, singuli enormissimi, in Viris Colicam convulsivam, in mulieribus Hystericam passionem designantes, imò in his non rarò partûs torturam mentientes. Vix etenim hæc peritissimo Practico data facultas est, *Calculum à colica* semper ita discernere, ut nunquam fallatur, cum Colon affectis Renibus non viciniæ solius lege condolescat, sed & ob plexum nerveum renalem, cui alius à nervo intercostali, s. potius eô mediante à spinali medulla accedit, & in quantum ille plexus cum mesenterii maximo communicat, affectio Colica & Nephritica multum affines existant, ut difficile sit, ab invicem earum paroxysmos dijudicare. D. *Willis anatom. Cerebr.*

Fœmina

Fœmina 30 annorum plethorica cum bilis ſubdominio aliquot dies conqueſta eſt de dolore Ilii ſiniſtri ſatis intenſo gravativo, fixo, cum alvi adſtrictione & vomitu materiæ crudæ pituitoſæ urinisque variis. Uſu *clyſteris* excrevit calculos tophaceos inæquales, magnitudine ovorum columbinorum, numero duos. D. *Bonetus Sepulchr.* l. 3. ſ. 14. O. 14. Deſperatæ valetudinis ſenex pluribus annis atroci ἐντέρων dolore cruciatus variiſque anticolicis fatigatus injecto *clyſmate terebinthinato* quatuordecim avellanarum mediocrium magnos muco viſcoſo oblinitos, colore pondere ac figurâ à lapillis cholodochi diſtinctos Calculos rejecit, à diris ventris torſionibus inde liber. D. *Beckers.* D. j. A. 8. O. 70. Uxor Sutoris *Uracenſis* ſexagenaria ſuper atrociſſimos per intervalla dolores in abdomine diu querula, dum cum marito peregrè abiret, inter eundum iisdem denuò correpta alvumque exonerare coacta ad arborem multis virgultis circumſeptam conſedit: Subitò ſurrexit ſeque viperam (inter frutices cum ſtrepitu præterrepentem) alvo rejeciſſe magno clamore marito narravit. Cùm tormina non remitterent, iisque exacerbatis inſtar farciminis inteſtinum colon diſtorqueretur, firmiter credidit, aliam viperinam prolem reſtitare intra abdomen. Quando miſeram invaderet colica, ambabus ventrem compreſſit, pedibus tremuit, ac ejulavit tantoperè, audita in longinquum. Quidam lienem, alii uterum, alii apparatum morboſum præter- & ſupranaturalem in ventre occuli & accuſari debere arbitrati *Sagis* & *dæmoni* malum adſcripſerunt. Alii concertarunt, adeſſe viperam, quæ audiatur ſibilare & cantillare. Duravit miſeries ad 30 annos, omnia fruſtra adhibita; Hydropica facta ſopitum fuiſſe dolorem, dixit. Educta aqua omnis paracentheſi, & recruduerunt tormina, ſub quibus defuncta eſt. Inſpectis viſceribus primariis nihil. In cyſtide biliariâ latuit anguis, nempe *major Calculus* adeò tenaciter ipſi veſiculæ adnatus, ut vi ſeparari debuerit, in cujus ſuperiori ductu verſus hepar ſupra majorem alii minores tanquam proles matris non infœcundæ quieſcebant. Etiam meſenterium calculoſâ ſaburrâ refertum fuit. D. *Huldenreich.* E. N C. D. j. a. 6. & 7. O. 120.

Et ſummè miſerandi juvenis hiſtoriam recenſet D. *Tulpius* l. 3. c. 2. qui à calculis clanculum in veſica habitantibus, & quos exſcindere lithotomus non conatus eſt, acerrima tormina, dolores hypogaſtrii acerbiſſimos, continuam mejendi difficultatem, lumborum lancinationes pubisque & urethræ ardores penè non tolerabiles paſſus

eſt, ut præ inſuperabili dolorum immanitate extremam maciem contraxerit oppetieritque ſæpius mortem, quâ priusquam bearetur, coactus fuit integrum annum Sedendo conſumere, & continenter caput ita ſublime habere, ut nunquam licuerit, in pulvinar inclinare, quin protinus diſtracti fuerint vel omnes, vel ſaltem illi nervi, qui aut caput verſus ſcapulas trahunt, aut immobilem rectamque cervicem ſiſtunt: Quorum ſæviſſimorum tormentorum crudelitatem adeò perhorruit, ut maluerit perpetim confligere cum ineluctabili dormiendi neceſſitate, quàm tantis moleſtiis redimere tàm irrequietam fatiſcentium membrorum quietem, quorum ſecuritati tandem mors conſuluit, in cujus luctâ contigit quidem ſuccumbere, non decumbere, quod bis tentavit, ſed bis quoque repulſus fuit ob indefatigabilem dolorem & atroces nervorum contractiones, quæ poſtea frequenter obvenere. ut neceſſe habuerit, parere inevitabili fato, & inviſam ſibi vitam finire, ſi non ſedendo, ſaltim cedendo. *Calculos* detexit Sectio *Duos inſignes*, & *ita duros*, ut nec frangi, nec ſcindi potuerint. Ab his veſica in tantum attrita, & à pure fœtidiſſimè ulcerata atque conſumpta, viſa eſt, ut urina proprio ſuo receptaculo deſtituta liberè fluctu averit per univerſa inteſtina.

Et quæ reliquæ aliæ ægritudines ſpaſmodico-febriles ſunt, non tàm cöaffectionem nervoſi generis, quàm magis in iis, qui longius calculoſi ſunt, aut tales pluries fiunt, propter parcam & imminutam urinæ ſeceſſionem, ex remorantibus calculis, & diffuſione redundantiâ ac regurgitatione ſeri. Etenim venis emulgentibus ſupra modum diſtentis id non expellitur, & veſica plena nimis ad mixtionem non facilè componitur, ac cùm ſerum in patentes vias non citò excurrat, cruoris maſſa ſtricta nimium & compacta laticem aquoſum intimè ſibi permixtum è ſinu ſuo ægrè permittit. Etiam ſabulum, arena, mucus & pituita reſtagnant in vaſis emulgentibus, renibus ac veſicâ, quæ deſtruunt, & tandem in calculos cöagmentantur, prout ob convenientiam locorum minores permanent, aut majores fieri poſſunt, eôque ipſo principio vel augmento concretionis mora nectitur *Secretionibus*, accumulando feces, craſſitudinem & ſaburram ſanguinis in venis & arteriis contentam, impediendo debitam ſegregationem excernendorum, & conciliando digeſtionum viſceribus intemperiem juſto calidiorem, ut neceſſum ſit calculoſis *ſitire*, *vigilare*, *febrire*, *altum ſpirare*, *angi*, *animo linqui*, *tumere*, *delirare*, quamvis leniter, nî febris

bris acuta inflammatoria ſuperaccedat, & tentári tot aliis malis accidentibus, quæ à calculoſis ſuſpicatur nemo, niſi circa phœnomena lithiaſeos etiam occultiſſima exercitaſſimus.

Illuſtris mulier ætatis 48. annor. dolore gravativo in regione veſicæ, urinâ p. fontanæ ſimili, p. ſabuloſâ, confusâ, graveolente, craſsâ, purulentâ, acerbo inter emittendum ardore, mictione crebrâ & ſtillatoriâ, conatu & compreſſione multâ certior reddita de calculo aut calculoſâ concretione, præter hæc & cætera lithiaſi communia ſequentia complicata ſymptomata experitur. Infeſtante ægram morbo ex conſiſtente materiâ calculoſâ ejusdemque forſitan aſperitate duritie & copiâ, propter inſignem dolorem à compreſſis, arroſis, extenſis & contractis membraneo-villoſis partibus animo ſuo non ſemper conſtat, actiones voluntarias non legitimè exequitur, ac præter conſuetudinem nunc parum, nunc multum, nunc ferocius, & incondita tamdiu eloquitur, uſque dum adminiculante naturâ vel arte peccantem ſaburram è Renibus per uretheres ad veſicam tranſmiſſam eſſe ipſa referat, eô ipsô confeſtim mentis compos redditur, cujus ope omnia, quæ agit, aut loquitur, rationi conſentanea, decora & conſueto modo perfecta ſunt. Interdum pollex pedis ſiniſtri, (ad quod latus in inguine calculoſæ colluviei progreſſus frequentius obſervatur,) tremore quaſi convellitur ſolus, citra omnem ſtuporem cruris ac reliquorum pedis digitorum, voce tum temporis tremulâ & interruptâ. Adhæc immanes borborygmi viſcera ventriculumque ferientes interdum compreſſiſſimum pectus ſentitur & videtur, ut ſuffocationis metus incidat. Sudor in paroxyſmo perpetuus, non per totum corpus, ſed manuum volas, quantitate adeò notabili, ut attactu objecta quævis impensè madefiant, qui remittente paroxyſmo ſenſim diſpellitur. Hic inſtar febris tertianæ duplicis impetum molitur. Quamdiu vires integræ, motus omni decubitu præſtat; Reſupina cubans quieſcit commodior. Aliquoties circa plenilunium urina cruenta, quâ cauſa, cùm naturam inde catameniorum repurgationem ob ætatis rationem ſubſtituiſſe judicatum fuerit à medicis, circa æquinoctia imminente cum primis plenâ Luna, in pede venæſectionem inſtituere hactenus conſuevit. Dn. D. *Majer. d. calculoſ. ſymptom. metamorph. infreq.* E. N. C. *Cent.* 4. O. 139.

Mea Lithotoca calculoſitatis ſuæ ſupra omnem exceptionem convicta, vel ejusmodi talia, vel his analoga annis & menſibus ſuſtinuit,

 non

non calculifera, si iisdem signis caruisset. *Doluit præcordiis*, modò sub sensu pressionis, constrictionis, aut terebrationis in scrobiculum cordis, modò cum dolore cardialgico & molestissimo ardore, nunc manè & ante cibationem, nunc statim ab assumpto cibo, nunc aliquot à pastu horis, qui mitescebat, quoties oris amarorem, ructus acido-biliosos aut vomitum pateretur, vel alvum redderet. Quippe à Chymicis tum *καρδιαλγιά*, tum plerique morbi è stomacho ab impuritatibus tartareis, à salibus assumptorum vel in mucilaginem resolutis, vel iterum coagulatis derivantur. D. *Rolfinc. Dissert. Chymic.* quæ ventriculum vel gravantia vel rodentia, si sursum vel deorsum exturbantur, aut per ructus diffunduntur, ipsum *καρδιαγμὸν* tunicarumque ventriculi nervosarum mordicationes sublevant, sedant, coërcent, excutiunt, tolluntque. *Vomuit* subindè primæ acidiusculæ limpidæ aquæ parum, tum pituitam salsam, denique bilem & æruginem multam, non *pus ulcerosum*, judicio clinicorum. Siquidem in statu sano nemo vomit, & vomitio affectio stomachi actioni ejus naturali & ordinariæ contraria aut saltem opposita est, imò vera convulsio ejusdem & gulæ, D. *Willis Pharmacent. Ration.* s.2.c.1. ab irritante causâ morbificâ propria vel peregrina, quâ, prout latens fomes propius aut remotius correspondet, humores multifarii profunduntur, exprimuntur, evomuntur, aquosi, serosi, pituitosi, biliosi, atrabilarii, albi, flavi, virides, cœrulei atri, tenues, crassi, insipidi, amari, acidi, acerbi, dulces, quandoque misti fœtidi, acres, blandique, D. *Sylv. Prax.* l. 1. c. 9. quatenus materies emetica incongrua, indomita, sordida, hetergenea, & velut putrilaginosa stomachi culpâ gignitur & continetur, vel aliunde affluit è massa humorali, & exantlatur è reliquis visceribus ad ventriculum, maximè, qui cum sexto, nervorum pari communicat. Si gypsum, blennam, lasuræam, sævum stercora, fecem nigram, liquatæ pici similem fœtentem, & ad 40. libras vomuisset, quod in juvene D. *Clauder. Senior* vidit, aut stramen, pilos, catulos, millepedes, pisces, ranas, flammasque eructâsset, quid violentæ imputationis passus fuisset dæmon? *Torminibus, spasmis, puncturis, rosionibusque in artubus & musculosis partibus* vexata fuit, p. ob sanguinem non æquè ex bile acriusculum, ac serum terreis particulis aut potius lapidescentibus salibus inquinatum, p. etiam propter flatulentias clauso ventre potentivâ suâ tenuitate musculorum interstitiis & membranulis se insinuantes, scindentes, tendentes, lacerantes, divellentes, authoresque falsos calculosorum, veros rhevmatismorum colicæ & arthri-

tidis

tidis παθημάτων; utpote assurgentes ad brachia & manus Chiragram excitarunt, Dn. D. *Volkam.* L. 2. A. 4. O. 91. juncturarum ossicula translocarunt, D. *Dobrzenskii*, *l. Calc. podagr.* è venis sectis & abscessibus eruperunt cum fragore quasi sclopetario, D. *Burgius.* D. 2. A. 9. O. 154. Orthopnœam fecerunt, ut æger nec loqui nec edere potuerit absque interceptâ respiratione & eructatione flatuum. D. à *Lebenwald.* D. 2. A. 6. O. 56. Imò ferè nullus morbus est, quem concursu suo non urgeant, & nulli peregrini ac mirifici affectus, qui non ipsi se totos aut sui partem flatibus debeant. D. *Pechlin. d. mirif. flatuum lusib.* l. 2. O. 57. *Sitiit*, ob febrilem humorum statum, unà picrocholon, ac Siccam primarum viarum intemperiem, motu calculorum & spasmorum interventu intensam, serique salsuginem ejusve tum exsiccationem tum vappescentiam. Fuit quippe valdè & facillimè iracunda, toto corpore sicca, dura & emaciata, cum colore cutis è flavo viridi, catarrhis quoque salsis febribusque biliosis, continuis æque ac intermittentibus ferè quotannis obnoxia. *Dormivit parcè*, parum libera à doloribus & spasmis, ac si pauxillùm obdormiverat, *expavit deliravit animoque soluta fuit*, spiritibus inordinatè motis, turbatis, dispersis, ac exhaustis viribus, diuturno tot lapidum conflictu, & prægressam aliquot dierum sufflaminationem subsequo lotii largissimo defluvio. Nempe hæc tria (1) *Sibilus inter vel post potandum strepens in stomacho*, (2.) *Crepitationes ventris tonitruantes*, & (3.) *retentæ urinæ multa effluxio*, phænomena *prodigiosa* & *incantatoria* habita fuerunt à quibusdam doctis & plebeis.

Sitiunt sæpè semper & plus justo, præter hos, qui febribus ardent, & *juxta Galenum* ad l. 5. *Epid.* certius æstuant, si perpetuò sitiunt, seorsim scorbutici, hydropici & calculosi, *privativè*, ob salivæ & lymphæ paucitatem, quia quamvis parum mingant, semper tamen singulis vicibus aliquid mingunt, & propter hanc mictionem frequentem multum humidi insensibiliter deperdunt, quod natura studet appetentià liquidorum imprimis Frigidorum compensare, & incalefacta retorrida viscera temperatæ symmetriæ restituere. *Positivè*, ex acredine, salsitate, & glutine humorum, eorumque taliter constitutorum dyscrasiâ calidâ & siccâ, quæ ob naturalis humidi penuriam aut vitium apprimè ventriculo, faucibus, linguæ, palato & glandosis partibus ariditas concitatur, & inevitabilis p. n. bibendi cupido & urgescentia certis intervallis, excessiva morbosa & miraculosa suboritur. Bibere expetitur,

petitur, quando ſitis ingens urget tamdiu, donec guttur imbre permaduerit, ut aliquid ad refrigerium viſcerum abeat, unde uno hauſtu vix contentus eſt ſiticuloſus. Præcipuè birioſi omnium peſſimè λιμὸν καὶ δίψην, famem ſitimque ferunt, quorum ſanguis ſemper eſt in fluore, ſpiritus volatiles debiles & diſſipabiles, pori etiam continuò patuli ſunt, eo fine, ut Spiritbus & humoribus apertam portam teneant, ideoque plurimi egentalimentari humectatione, & potu magis reficiendi ſunt, quàm cibo. D. *Vicarius Hiſtor. d. Aſit. novem. dier.* Et quis impediet, Tantalæâ ſiti non tantum affici, ſi in ventriculo ejusque approximantibus viſceribus, affluxu continuo, transcolatione, collectione ac inſpiſſatione humiditatum ſcoriarumque ſalſarum & lixivialium ſiccitas, fervor & igneus quaſi calor exſurgit, ſed & inſimul, cum Frigida hauritur, eaque in exſuccum, halituoſum ſtomachum delabitur, cum inibi præexiſtente acri & ſalsâ colluvie tanquam alcali & acidum non effervescere, æſtuare, bullire, pugnare, reagere, ſicque colluctando ſibilationes ſtrepitusque excitare? quippe ſitis morboſa fit, cùm vel innata ventriculi glandoſo-gaſtrica lympha alteratur & exhauritur ab intemperaturâ inæquali ſiccâ aut calidâ, aut utraque, interdum ab humore acri, ſalſo aut putrido ventriculi villoſis tunicis plicisque impacto, aut illius fundo agglutinato; Vel ex conſenſu totius corporis, aut peculiaribus ejus partibus, quæ modò dictis diſcraſiis præ aliis corripiuntur, ut hepar, pulmones, & in ſpecie Renes ſunt. *D. River. Prax. Med.* Quibus ſpecialius vis inſita lapidifica aſſignatur, ob peculiarem ſiccitatem & terrenam conſtitutioem, quâ alluvies & ſolutiones feculentiarum terrearum in iis adhæreſcunt & in tophum mutantur, excoquuntur, indurantur. *D. Charleton. d. Lithias.*

Borborygmi, Crepitus & ſurgentium *flatuum murmurationes*, quoad ordinarias ſuas cauſas non ita notabiles ſunt, potius, quod audiantur in Diſtans ac longum ſpatium, & ex iis ridiculi, inconditi, & admirabiles Soni formentur. Si viſcidior pituita oppugnari non poteſt à menſtruo ſtomachico, bile & ſucco pancreatico, horribilis flatuum omnigeno dolore vagantium & diſtendentium proventus fit, & prout manet inflicta bili aut ſucco pancreatico acrimonia, ita hanc ſurſum ac deorſum cum tormine ejici, videtur. Aliàs immanens ſe ſubſternit in cauſas plurimorum affectuum colicorum, hypochondriacorum ſimiliumque. D. *Swalc Pancr. Pancren.* Debentur iis tot rugitus, ſonitus

nitus, murmillationes, κλυδώνη f. fluctuationes, tot dolores tensivi & punctivi, tot ructus & crepitus, imò varii naturæ lusus, qui fœtidis illis halitibus adscribi non deberent, nisi suffragiis & exemplis omni dubio majoribus comprobarentur ab Illustribus Medicis, Dn. D. *Pechlin. l. supr. cit.* Dn. D. *Lenilio in Eteodrom. ann.* 1709. *mens. Aug.* & in *Discursu Physico-Medico*, Dn. D. *Zwinger.* E. N. C. D. 2. a. 6. O. 230. Ubi flatus, ibi humores rebelles archeo, & ubi hi, ibi rarefactio vitiosa. *Illustr.* Dn. D. *Wedel. Am. mat. Med.* Flatibus maxima pars morborum, & quidem principum immanem suam torturam debet, nec semper sunt Iatricæ moryæ asylum, sicut salsè & frigidè judicat D. *Knipsmacoppe in epistolâ medicâ d. pdyp. Aortæ* ad Dn. D. *Patinum.* Si tantùm eorum evaporationes in Sonitus ludicros attendantur, aut analogi circumrepentis aut clamantis in ventre animalis motus, habent flatus multifarias causas, quibus Veneficiis tribuantur, aut contra naturales æstimentur, donec post mortes phænomenorum omninò rariorum & gravium rationes patefiant ab inclusis prius flatibus.

Civis rumore vulgi magicis artibus felinos catulos in abdomine concepisse & gestare, publicè declamabatur. Aliqui viva animalia per ejus viscera discurrere, alii ejulatibus eadem se prodere dixerunt, quin nonnulli manibus hæc cum cute abdominis apprehendi, sed ob lubricitatem retineri non posse, asseruerunt. Ipse æger maleferiatæ suæ vicinæ incantationes incusavit, cum insigniter & magnâ sævitiâ venter tumuisset variique rugitus diu noctuque auditi fuissent sub maximis doloribus siti, dyspnoeâ & magnâ debilitate. Prædixerunt medici *hydropem asciten.* monitus æger ob periculum, ne inani suspicione deceptus præstigiis morbum imputaret, contumaci de veneficio occœcatus præjudicio eidem immortuus est. Præter communia in cachecticis, plurima inventa ex flatibus. Ventriculus flatu turgidus pallidus, tenuis & muco obductus. Intestina omnia cum mensenterio duro in globum contracta flatibusque valdè distenta, tenuia imprimis manu pressa ob inclusos flatus murmura dederunt, quibus æger & clinici decipi anteà potuerunt, alii animalia in ventre, illaque dolores inferre & sibilare. D. *Nebel.* E. N. C. D. 3. a. 3. O. 161. Imò quantum ferociant post mortem flatus horrendis sonitibus, ita ut abdomina crepuerint, videatur D. *Hönnii* O. 16. D. 2. a. 1. & de simili sonitu in ventre insecto adscripto legatur O. 13. D. 2. A. 7. Dn. D.

Reiseli

Reiſelii; vel qualem exploſæ bombardæ conſimilem, & in totâ arce auditum ab aſſumptione aliquot guttarum olei Jovis anglici obſervavit in Illuſtriſſimâ fœminâ D. *Khernius* E. N. C. D. 3. a. 2. O. 56.

Denique *Quantitas* & in tantum multa ſeceſſio *urinæ* poſt ſolutas Iſchurias calculorumque exturbationem viſa fuit in non paucis, ut fidem tranſcenderent relationes practicæ, niſi candidi & juramento veritatis earum auctores obſtricti eſſent, qui nullibi grandiloquentiam ſectantur, aut ὑπερβολικωτέρους terminos in mendaciis. Metienda veritas ad amuſſim conſcientiæ, ni collimet ad falſiloquium, vel turpe mendacium, quod loquaces, futiles, & ſubdolæ *clinicæ* non fecerunt, ſeminando nugacem hanc Impoſturam, *Lithotocam* poſt calculos minxiſſe faſt Seltens-weiſe/ additâ benè voculâ faſt / notâ dubitationis aut pleonaſmi, cui tutò detrahitur, aut non creditur, niſi quantum credi poſſit. Nephritici plerumque ante futuros ſibi dolores eoque jam præſente calculi tranſitu *affatim multam* urinam per aliquot dies feſtino fluxu ſecernunt, tenuemque, aquoſam, claram, nec ſufficienti perfectione urinali conſpicuam, cum ob coagulum arenoſum bolare & calculoſum, atque ipſius renis aut veſicæ vitioſum & debilitatum fermentum non ritè conficiatur lotium, illarumve partium archeus primariò malè affectus ſit; hæcque copioſa urina malæ indolis character ſit, Cujus continuatâ ſucceſſione aliæ ſequaces calamitates concinnentur. V. *Helmont. d. lithiaſ.* c. 6. Volens quippe archeus hoſtem eluere, accerſit undecunque omnem laticem, & ad eluendum dimittit, per renes & veſicam, detergendo & laxando, humectando vias membranoſas, quæ madidæ craſſiorem ſaburram calculosque minori dolore & difficultate everrere patiuntur. *Ibidem.* Unà verò ordinarius & legitimus mictus intensâ p. n. ſecretione laticis, peſſimè in diabeten commutatur. Poſt octiduanam iſchuriam vir calculoſus intra aliquot horas 44. ℔. urinæ minxit; & fœmina continuato per noctem mictu 20. ℔. cum omnimodâ virium proſtratione, ſiti intensâ, calore magno, pubis & abdominis dolore, deliriis ferè continuis partiumque tendinoſarum in artubus convulſivis motibus, *tete Perilluſtr.* Dn. D. *Schröckio.* E. N. C. D. 2. A. 6. O. 140. & 141. alia fœmina è calculo renum & obſtructione uretherum, lotii ſuppreſſionem paſſa, cum ſabulosâ ſaburrâ & calculis, unâ die ultra 30. ℔. ſtagnantis aquæ emiſit. D. *à Lebenwald.* Centurio Iſchuriâ tentatus nocte mingere cœpit & quatuor matulas urinâ arenis mixtâ replexit D.

Zvvin-

Zwinger. Puer 16. annor. una nocte 15. mensuras f. 60. ℔. puella septennis singulis diebus 30. ℔. & mulier religiosa quotidie 40. ℔. miraculosis fluxibus minxerunt, velut hydrope ad matulam, morbo gravi & rarò, cui insigne Θεῖον inest, & qui à vulgò facilè Dæmoniæ traditur.

Præter urinam *Sanguis* etiam funditur calculorum causâ per urethram & ex alvo, imò necesse est, fieri cruentam urinam in calculosis, & interdum plus sanguinis quàm lotii secedere, quoties longâ distensione Vascula renum, uretherum & vesicæ rumpuntur, vel asperitudine aut acutie calculorum earum substantia laceratur & eroditur, ut stillicidium cruoris sequatur, vel hic lotio magis minus misceatur, vel penis periculosa hæmorrhagia succedat, qualem in monacho ad aliquot libras vidit Chirurgus Gallus *d. Blegnii. Zodiac. Med. Gallic.* Urinam nigricantem è purpureo ita crassam, ut purus sanguis coagulatus æstimari potuisset, acceptam à Calculoso Dn. D. *Schelhammerus* post aliquam evaporationem affusâ aquâ paucâ per chartaceum filtrum solutum quod fuit, transfudit, magna crassamenti, quod poros aquæ & chartæ subire non valuit, copia in charta remansit, quod exsiccationi expositum vergente colore nigro in cinereum in duritiem lapidis concrevit, procul dubio futuri calculi materia in renibus coagulationi relicta, nisi incisa & expulsa fuisset. D. 3. a. 9. & 10. O. 81. Et Vir sanguineo-melancholico-hypochondriacus primùm urinam instar loturæ carnis acutissimis doloribus circa pubem cum dysuriâ & tenesmo, ut adesse in vesica magnum calculum ipse præsumeret, paulò verò post vehementi cruciatu & ardore in virgâ oblongos sanguinis grandes grumos mingendo ejaculabatur per periodos, nunc puros floridos & impermistos cum urina, qui in momento in globos spissos coiverunt in matula, modò nigros cum urina sub intolerabili alvi stimulo. D. *Nester.* E. N. C. D. 1. a. 8. O. 23. Saturantur etenim ejusmodi urinæ sanguineâ velut rubedine à corpusculis salinis cum feculentiis Tartareis ubertim resolutis & sero dilutis, eô tamen à verè cruentis discernendæ, si ad fundum sanguis subsideat, & linteamina rubrè tingat, quod à lixiviali urinâ v. g. febrientium, scorbuticorum, arthritico-Podagricorum ut & phthisicorum non observatur, scil. ubi calculi desunt, ægrosque tamen sanguinem mingere, judicatur, ut perpetuæ veritatis non sit *Hippocr. aphor.* 75. f. 4. & in illo ex sanguinolento lotio ad calculum renis aut vesicæ argumentatio,

tio. D. *Willis. d. Urin.* & D. *Hollerius d. mict. Cruent. & comment. in istum aphoris.* Sanguis qui urinam tingit, utplurimum è renibus Emanat, & interdum in renibus ipsi permiscetur, interdum in uretheribus, interdum in vesica, interdum ex læsis arteriolis in pene. Omnis verò talis urina est crassiuscula, non splendida, & seponere solet crassamentum ex intensè rubro quasi nigrescens & grumosum sanguinem exactè referens. D. *Ettmüller. Op. Theor. Pract.* p. 2. c. 3. *E renibus* si excernitur, sanguis mingitur confertim, uno impetu, largissimè, sine causa externâ derepentè, & absque ullo prægresso symptomate. *E Vesica*, si non adeò coarcervata, fit profusio, sed augmentis quibusdam promota interjectis defectionibus, quando retento sanguine dolor pubetenus vexat, ac inguina & clunes tenduntur, effluente autem iterum sanguine hæc omnia symptomata cessant. Ex *Urethra*, si sanguis paucus sine intermissione per notabile tempus fluit, doloreque urethra uritur. *Aurelian. Chron.* l. 5. Quæ cruentæ mictiones à Dn. D. *de Helwigh* hæmorrhoides vesicæ appellantur, siquidem ob communionem vasorum hæmorrhoidalium cum venis vesicæ eorumque ramum, qui in viris surculis majoribus exporrigitur in cervicem vesicæ, solent ut in podice vel fœminarum sinu aut matricis collo, ita etiam è vesica hæmorrhoides fluere, non equidem ruptis, sed hiantibus tantum vasis, quæ si impeditè aut planè non profunduntur, æquè ac in calculosis corpus languet, tormina sentiuntur, inflatio ventriculi fit, ructus & borborygmi audiuntur, spasmodici alii motus in abdomine, dolores sensibiles per totam Sacri ossis longitudinem, & nonnunquam stupores in pedibus percipiuntur, ut variis induciis præsignetur medico & ægro, quid ipsis futurum sit. E. N. C. D. 3. a. 9. O. 119. *Histor. morbor. Uratislav. ann. 1700.*

Sed quæ ex ano cruoris excretio advertitur, & non è venis sedalibus, violentam & majorem tormento calculorum subjectarum partium læsionem plerumque infert. Alvi enim excretio tum difficilis, & sanguis sæpè excernitur ob violentiam calculi. *Hippocr.* l. 6. *Epid.* qui dum contumaciter hæret, & ad excernendum cum tenesmo vesicam alvumque exstimulat, ipsa autem excretio toties inanis aut non possibilis est, quoties interim vesica plenam sui constrictionem molitur, in asperitatem solidi calculi multoties impingit suumque dolorem intendit, ac ob vicinam contiguam & continuam intestinum premit, ut contrahi & stringi debeat, alvus claudi, scybala durari, diu hinc retineri

retineri & majori nisu extrudi; ipsum unà intestinum nimis calefieri, erodi & apertis vasorum osculis cum levi inflammatione sanguis inter egerendum per alvum excerni. Vel cùm sociæ & plures unius morbi causæ sunt, & commune quibusdam calculosis, alere ulcus intestini recti aut vesicæ, aut in utroque simul, quô rupto putridus sanguis exeat; vel ejici calculos cum excrementis, qui denegato liberiori transitu venulas lacerant, cruentis inde factis dejectionibus. Prout è meatu bilis cystico per cholodochum ad extremum intestinum propelli calculos solere, arbitrantur Illustres Viri, Doctores *Hofmannus* & *Lentilius*, E.N.C.D.2.a.7.O.136.& 244. Quicquid horum fuerit sitque apud alios, Deteriores *Hippocrati* alvi dejectiones sunt variæ, quæ multiplicium excrementorum reduntantiam significant. Malæ autem simpliciter crudæ & vitiosæ, pessimæ opimæ, nigræ, fœtidæ & *Cruentæ*, imprimis si cum febre sint, & non Criticæ. s. 4. a. 29.

Hæc singula utut admodum morbosa, ærumnosa & molesta, non ita impatienti animo feruntur à calculosis, imò ea vel non animadvertunt, vel funesta non autumant, vel ex incuria & simplicitate rusticâ non curant. Maximè, si longius supprimatur urina cum manifesto universi dolore, metuunt sibi, ne introeundo serum delatum ad superiores nobilesque partes, aut redundans in vasis, epilepsias, comata, angores & inopinam suffocationem causetur, vel hydrops ascitico-tympaniticus oriatur, vel vesica rumpatur, vel mictionis impotentia sequatur, & quid non? Sæpius autem solo pauco & afflictissimo mictu mitescunt, assentiunt & flectuntur credere, fieri illum ex appulsu vel pondere *majoris Ludi*, qui iter sibi faciat movendo, vel ad cervicem vesicæ prolapsus obturet impediatque urinam, ut propter tensiones, ustiones, lancinationesq; ad mingendum inanes, opem quærere cogantur, quam quidem à medicis rarius expetunt, sed, ut moris est, apud plurimos à medicastris, agyrtis, empiricis & nebulonibus, qui suam Ιατροσόφιαν *Uroscopiâ* auspicantur vindicantque in multos annos, & quorum augurationi ex lotiis, si vel semel prædictionibus successus responderit, animo & manibus plauditur, medici spernantur, & falsis opprobriis incusantur, qui inspiciendam urinam non in omni morbo, vel planè non requirunt, vel solâ ex urina de morbis vaticinari nolunt nec solent, adeoque mendacium committere nec malitiosum, nec officiosum, nec jocosum. Adeò Veritatis vim error occupat, ubi publicus factus est, & misera honesti medici conditio, qui in gen-

 tem

tem incidit, ubi existimationem artis contra omne decus affaniis suffulcire opus habet, & non facultas aut locus suppetit, s. melius instruendi imperitam, s. rejiciendi ad alias indocilem, immodestam, pertinacem, stolidè credulam, rudem omniumque inexpertissimam plebem, quæ lubentius uromantarum nugis maledientiis ac fluctuationibus confidit, quàm doctorum medicorum inclytæ famæ fidæ solertiæ & non fallaci, quantum arti indulget Numen, experientiæ. Imò optandum esset, ut inter ipsos medicos hæc corruptela emendaretur, qui cæterà non incelebres, ex avaritia, egestate, vel complacendi aut inclarescendi cupidine allatis lotiis nec ægro viso, nec per relationem necessariam de natura & statu ægri ac morbi conditione edocti temerè judicant, multa vana mendacia & incondita blaterant, inconsideratè remedia præscribunt, & fallaciam uromantiæ suis exemplis stabilire annituntur. Quis enim sine conscientiæ vulnere suo proximo tot glaucomata objiciet, quot ii solent, qui turpi lucello in lotio ea se conspicere palam gloriantur, quæ oculos, ingenium & artem superant. Dn. D. *Bartholin. Bohnius d. offic. med. Duplic.* & *Ammann. Parænes. ad discent. &c.* Qualia reverâ essent, v. g. *viscerum & superficiei interni corporis tophacea incrustatio calculorumque ipsorum* intus adhuc latentium *numerus, crassities, magnitudo, longitudo & figura*, quæ denunciasse meæ Lithotocæ Impostores dicuntur, Ihr Leib seye innwendig wie ein Faß mit Weinstein überzogen / sie trage viele Steine bey ihr / und seye ihren schwerlich mehr zu helffen. &c. Quæ absolutè & impudenter profari, medici ambitionem aut loquacitatem saperent, quamvis millies & rigorosissimè urinam inspiceret, vel quocunque modô examinaret. Confer. *Illustr.* Dn. D. *Riedlin. Lin. Med.* 21. M. Nov Anno 1697. *de eluso Uromantæ judicio.*

Oportet per vesicam prodeuntia inspicere, an sint talia, qualia sanis prodeunt? *Hippocr.* s. 7. a. 66. Signat urina in genere vitia sanguinis, ebullitiones, cruditates & discrasias, morbos item stomachi, jecoris, renum & vesicæ, cum quibus utplurimùm conspirat & participat. Soli autem nunquam fidendum, nec solâ visâ præscribi pharmaca debent, simul morborum historiæ & accidentia pathognomonica declaranda sunt. Nullâ expositâ specie facti divinandum vel nugandum non est. Ideò symbolo *Illustr.* D. D. *Wedelii* duo hi potissimum radicati abusus corrigendi sunt, *Unus ex Parte ægrotantium*, qui non soli è vulgô, sed & nobiles & primarii ipsi consuetudini

pertina-

pertinaciter inhærent, neceſſariò offerendam eſſe urinam medico, & in eadem omnia ſymptomata digito monſtrari, depictos eſſe morbos, ſexum, ætatem & nomen ceu in ſpeculo exhiberi, ac contra dignitatem medicam fieri judicant, ſi vel gry addatur de perſona ejusque morbo, potius medicum viſurum omnia rati non opus eſſe referri ſtatum, & accutati medici proprium, ut omnia ſciat & ediſſerat ex urinis. *Alter ex parte Medicorum*, partim, qui communi Senatus conſulto & unanimi dexteritate, urinarias nundinas è foro medico non eliminant, & plebem magis ad recenſenda ſigna aſſuefaciunt, partim etiam, dum quidam tantillo lucro inducti promiſcuè & ſemper urinam expoſcunt, ex eâ judicium verbis vel ſcriptis conſignant, & teſtantur, quantum poſtponant veram medendi viam turpiſſimâ æris causâ. Deliberandum ergò eſſe diu, quod ſtatuendum ſemel, cum facilius prædici poſſit morbi qualitas quàm quidditas ex ſolâ urinâ, cum aliis verò & quidditas & qualitas ſimul tutò & accuratè. *Diſſ. d. Urin. earumque ſignif.* Dn. D. *Schapper. Orat. de Hydro- & Uromantia*, & Dn. D. *Stahl. in medic. Medicinæ Curioſa.*

Et quemadmodum, ſi ad empiricos excurritur, non unius, ſed plurium votum exquiritur, ne æger multitudine conſiliorum careat vel moriturus, vel alio quovis modo vitæ periculum inter medicaſtros paſſurus, ita acceſſit noſtro medicanti & ex urinâ prophetizanti agyrtæ in conſortium curæ *Tonſor* paganus, magiſter & artifex in detondendis ruſticorum barbis incultis, ſordidis, horridis, ſquallentibus & præ obſcœnâ ſpurcitie corruſcantibus, quæ falce potius quàm novaculâ reſecari deberent. Egregiè quivis ignarus ſcarificator, raſor, idiota, ſcurra, medicus jam evaſit, quippe multiplici nece, & praxi totidem homicidiis, fraudibus & mendaciis pollutâ. Siquidem medicaſtrorum *non copia*, quæ hodiè omnes Pythagoreorum numeros tranſcendit, *non ignorantia*, quæ damno mortalium ſatis innotuit, *non proterva audacia*, quam hoc ſeculum diſcupit, ſed egenorum commiſeratio, tot hominum jactura, & publicum idiotarum patrocinium, totque calumniæ, quæ in innocentiſſimam artem propterea à populis effunduntur, querelas medicis extorquent. D. *Manitius d. Spur. artis.* Dederunt curtam ſuam ſupellectilem, *aquam Saxifragiæ albæ* bibendam, quæ fruſtrà propinatur fine diuretico, renesque à lapillis & arenis non purificat, juxta D. *Ettmüller. in Schröd. Dilucidat.* Facilius eſſet, continuatâ forti diureſi omnem in corpore lympham exturbare, quàm

 calcu-

calculos exinde emollire, solvere, aut suo loco movere, si impacti & grandes sint, utpote plerumque majores sunt, quàm ut transeant per Vias, quas subire debent ordinariò. Subinde periti & ob experientiam jurati operatoris Lithotomi, non plebei balneatoris, qui solam radere barbam didicit, munus & privilegium est, sontiri fontes, & delinire dolores calculorum. Conatibus æquiponderetur scientia, quæ in plerisque brevis est, & Chirurgum non facit, si ille noverit aliquot vulgares aquas destillare, quibus suis ægris mutuatâ authoritate medentur. Lubenter operarentur in arte sua, si scirent modum operandi, & apud quos potissima causa est, ob quam non operantur, quia nesciunt operari. Unde enim scirent sub barbarie & ignorantiâ, qui alios doceant? Turpe magistro, si inscitiæ culpa illum ipsum redarguit. Insuper transacto triennio, rudis alumnus primam tonstrinam relinquit, in quâ nihil aut parum, quod veram Chirurgiam spectat, audivit, vidit, fecitque: excurrit ad civitates aliquot vicinas exteras, ut concinniorem tonsuram discat, aut ut redux ius Magisterii obtineat, sufficitque adeò misero, ministeriis & servitiis domesticis tot annis & pro nummis parentum vacâsse. D. *Bohnius Offic. Med. Duplic.* & D. *Freutag. Noct. medic.* c. 13. & 22. Sed dolendum hoc, in Rebus publicis aliàs optimè constitutis occasionem denegari, ritè addiscendi chirurgiam, cujus amica in vitâ necessitas est, & quod magis, inexpertis barbarum deglubitoribus Praxin medicam, Soli Doctori Practico commissam, non severius prohiberi posse, quô tanquam opere charitativo multi officiosissimè occiduntur. Possit medicus barbam radere, quod multi elegantissimè possunt, vel scabiosis rasorum manibus deterriti, vel verentes, ne inartificiosâ quorundam manu & novaculâ deformibus scissuris saucientur, so darff er doch keine Becken heraus hängen / sondern muß bey seinen Recepten verbleiben; Hinc omnibus Chirurgis, & qui eorum nomini atque ordini substituuntur, exercitium medico-practicum interdicendum, cùm uterque distincta munia habeat. D. *Amman. Med. Crit.* Chirurgus aut merus operator, aut empiricus est, ideò nihil sine medico suo agat, speciatim in periculosis læsionibus, quæ cautissimâ manu tractandæ sunt; aut simul artifex secundum præcepta artium dogmatica. *Prius* certissimum est, & *Posterius* sperari nunquam potest, siquidem, quamprimum sequestrata fuit à medicinâ chirurgia, manca facta est tonsoribus, & detrimentosa medicis, nihil his exinde lucrantibus, quàm

ut

ut indecorâ illorum impudentiâ turbentur omni die. Utinam tantum ſcirent, & reſpondere noſſent, & præſtare valerent, quantum in Saxoniâ à novellis magiſtris, qui officinæ chiriatricæ præeſſe cupiunt, expoſcitur, quod legitur in *Herm. medic.* D. *Manit. d. Exiſtimat. medic.* Ne verò inſanirent morbo ſapientiæ, & rationem deperderent, ſicut Democritus, cujus causâ Abderidani cives *Hippocratem* literis petierunt, ut veniret ipſi in auxilium Dn. D. *Wedel. med. Phyſiol. Sacr. & Prof. Exercitat.* 10. *Decad.* 10.

Factum tandem caſu & præter intentionem, quod ſuccedere noluit arte & conſilio. Eluditur non rarò prudentia medica ſagacitate naturæ, vel prævenitur privatis & oppidò ſimplicibus plebejorum curatiunculis, quæ quandoque riſum movent medicis, & tamen notari aut commendari merentur poſteris caſibus, maximè, ubi paupertas accedere Practicos & pharmacopolia vetat. Medicina ſimplex nonnunquam optima, prout pauperes & ruſtici mederi ſibi ſolent, quibus ſæpè à ſummo DEO ex merâ commiſeratione remedia ſaluberrima revelantur, per quæ magna in magnis morbis præſtant, quandoque in opprobrium medicorum. Quinimò qui medendi arte claruerunt, atque ex humanæ ſalutis cuſtodiâ magnam ſibi apud omnes gratiam compararunt, prima exiſtimationis ſuæ fundamenta in pauperum tabernis jecerunt, & divitibus atque Principibus facilè probari non poſſunt, niſi frequenti egenorum medicatione ſe tales prius oſtenderint, ſuſpectaque medentium peritia habetur, quæ vulgaribus experimentis inter populares & multa egeſtate preſſos homines non innotuerit. D. *Paulini in Thüring. Scorbutic.* & D. *Prævotius in medic. pauper. Torminibus* ſuis neceſſariò quidem, ſed absque labore levique artificio & ſumptu parabili, ac pauperculis utili remediolo, *Latere incalefacto* obventura fœmina lithotoca, cùm illicò *pondus & fragorem* in dolente tenſoque abdomine, ac *conatum teneſmωdicon alvi & verſus pubem* perſenſiſſet, ac paucis poſt horis *Omnes*, quos recondi intra ſe nemo crediderat, *Calculi* ſimul ſeceſſiſſent, ſibi aliisque viſa fuit, hoc fomento ſtimulum vim & motum dediſſe, ſe Calculis, qui prius tormina ſuſcitâſſe non judicabantur, & poſteà nec reſolvi poterant, nec frangi, nec aliâ excretione ſubduci, imò majores, & facilori transpreſſioni non aptos diffractos eſſe intra veſicam, qui proruperint poſthac numerô plurium & minorum. Non conatur medicus contradicere rixanti & contumaci vulgo, cujus rudia agmin

peſſim

pessima semper sectantur, meliora non probant. Periclitatur fama Doctoris, qui inargutæ & multis modis profanæ plebi non favet Consentiendo, quod religio & honestas non ubique patitur: Et si quidem loquendum cum vulgò, sentiendum tamen cum eruditis, ne infelix aut in doctum judicium excidat, aut ignara grex fidem apud plurimos præripiat.

Nihil tàm contra naturam est, quam dolor, & nihil naturæ tam gratum, quàm dolores placari. Morbi cum doloribus tortores & carnifices duplò majores sunt magis crudeles & sæviores reliquis. In omni dolore archeus irritatur, & ablatâ causâ occasionali morbifica promptè iterum quiescit, vel sedari potest, mitigari, sopiri ab extra & intra, prout convenit aut debetur doloribus. Fomenta hinc calida apprimè seliguntur, quia corrigunt, dissipant, expediunt, discutiunt, resolvunt, emolliunt, demulcent, leniuntque, etiam si summè urgeant tormenta. Quippe calor rarefacit & digerit, est anodynus, contemperat afficientes causas & affectas partes, flatus mitiores reddit, ac per insensibilem transpirationem evaporat, quicquid in illis continetur & molestat. Faciunt id paregorica tenuitate substantiæ, quâ poris se insinuant unaque archeo amica, ac ipsis partibus dolentibus benignitate suâ grata sunt, facultate suâ duplici, anodynâ & sanante laudatissimâ. Dn. D. *Wedel. Amœn. m. m.* l. 2. s. 2. c. 14. Si ergò adeò citam & planè mirabilem opem præstarent in lithiasi latera & opercula in contumeliam & contemptum Specificorum ex insigni laude & pretioso labore celebrium, Frustrà destillant Arcanistæ Chymici, & supervacua est Circumforaneis Operatoribus Diplomatum Cæsareo-Regiorum Dispensatio, imò mirum non foret, si plus possent vetulæ uno & simplici efficere, quàm nonnulli medici & lithotomi pomposis suis consultationibus. Idcircò medicum non pigeat, sciscitari é plebeis, si quid ad curationem utile. *Hippocr. de Præcept.*

Ob affinitatem colicæ & calculi infimi ventris œconomia flatulentiis turbata, & intestina tensa atque vellicata fuerunt cum suis & vicinis aliis nervorum plexibus, quorum ramificatio dispersa est in toto abdomine, ut ejus nulla pars sit, quæ cum iis non participet, cohæreat, aut consentiat, eò magis, quando acerbissimi dolores Colici exsurgunt ex impacta in intestinis eorumque tunicis multa crassâ & lapidosa congerie, quod visum est à Dn. D. *Bartholin. Epist. Hafn.* Et flatus spasmorum torminumque irritamenta, admoto è diuturnâ fecum clausurâ

expanso

expanso ventri fotu, forsan calidiori, quàm par erat, nullâ patulâ porta pro efflatione, fortiter erratico motu circumpulsi & pressi vagos bombos ac sibilos formarunt, quibus disruptos fuisse intus calculos crassiores & solidiores, adstantes pagani crediderunt; Sedatâ verò eodem inflativâ tensione & spasmodicâ crispaturâ ventris ejusque musculorum & partium membraneo-fibroso-tendinosarum, nondum tamen expulsis calculis, citâ metastasi naturæ non insueta, maximè, si morari non liceat sine pœna periculi, ad subjacentem vesicam, primariam morbi & doloris sedem, locum & focum propagatâ, ea ipsa depressa, constricta & irretita ob multam urinam & totidem gravantia pondera auxilium sibi latura nisu suo elastico & repetitis expressionibus, unà per continuas stimulationes inquietatorum calculorum quasi ad partum violento nisu adacta mulier *multos Calculos*, & restitantem ab iis *multam colluviem* excussit *per pudenda s. Vesicæ collum*, omninò tempestivè & illò die, quem destinaverat Provida natura pro insperatâ magnæ lithiaseos Curatione. Sic alia rustica uxor 48. annor. per periodos crudelissimâ Colicâ Nephritica afflicta in novam talem & vehementius urgentem passionem incidit, & cùm in quintam diem urina supprimeretur, miserabili spectaculo in terram prostrata, ac præ dolore immanissimè furente, ubi se contineret, nescia, in extremo vitæ limine posita visa fuit. Varia ordinata sine ullo effectu. Ecce tamen! Inopinatò & maximo naturæ conatu æquè ac fœtum enixuræ lapis prorupit è muliebribus vi satis magnâ, ponderis ℥xij & ʒj. profusis simul aquis corruptis & mucilagine plurimâ putridâ, insigniter fœtente, ut præ tetro odore amici ex hypocausto festinare coacti fuerint. D. *Clauderus* E. N. C. D. 2. A. 5. O. 198. Quippe sic natura id, quô quis ægrotat, aufert, & sanitatem reddit, idque motibus suis in spiritibus, sanguine & partibus, quos medicus moliri nequit, & quandoque per vias, quas oculatissimus anatomicus nunquam inveniet. Quin Divinum Numen instruxit corpus ejusmodi præsidiis, ut sufficiat sibi, se tueri posse mechanicis rationibus à diversis morbis, dum quod perniciale est mixturæ & motui humorum, separat, & eâ causâ extraordinarium spirituum in partes influxum proritat, qui servire debet lædenti aut gravanti causæ vel corrigendæ vel exterminandæ. D. *Hofmann. Diss. d. Nat. morb. medicatr.*

Cùm nec medico licuisset, quod neque moris est, neque pudicum Doctorem decet, Denudatis Naturalibus proprius aut accura-

tius ipſam calculorum excretionem inſpicere, nec admota fuiſſet manus Lithotomi, ſed ſub veſtibus actum ſuum luſerit acriter tormentata mulier, à multis, quibus volupe nodum in ſcirpo quærere, & veritatem in mendacia contorquere, dubitatum fuit, an reverâ exiverint calculi è muliebribus, collo veſicæ, aut uteri? an verò nequitiâ & fraude ſuppoſiti fuerint? ſicuti malitioſa 20. annorum filia, ut paupercula in noſodochium reciperetur, pudendo ſuo ſucceſſivè 30. fruſta platealium lapidum altè intruſit, extractos poſteà à chirurgo, qui adeò ſceleſtè mentitam & ingenioſo aſtu ac laſcivo dolo ſimulatam lithiaſin ſubolfecit detulitque ad Magiſtratum. *D. Harder. Apiar.* O. 80. Dari uterinos calculos, confirmant Curioſorum obſervationes. Talem ℔iiij. gravem, fuſcum & eminentiis pluribus inæqualem poſſedit D. *Barthol. Hiſtor. rar. Cent. 4. Hippocrates* in Laryſſa, famulâ Dyſeridis aſperum magnitudine verticilli vidit, quæ prius fortiter dolebat circumcirca in epigaſtrio, poſthac ſtatim ſana l. 5. *Epidem.* §. 12. vel quales in vagina uteri inventos D. *Græff* memorat, *d. Mulier. Organ.* quem in quinquennis puellæ diſtento uterulo album & ovum columbinum magnum, D. *Gnöffelius*, D. 1. A. 4. & 5. O. 65. & quales multos ad numerum 32, plurimùm magnitudine amygdalorum tubulis & plicaturis uteri infarctos in matrona 48. annor. obſervavit D. *Morus*, cui prius per decem menſes materia acris & loturæ carnis ſimilis ſtillabat è genitalibus. E. N. C. *Centur. 1. O. 77.* Rariores tamen hi ſunt, & nonniſi poſt mortem exſcinduntur; vel luſu & artificio naturæ reperiuntur Hyſterolithi ſ. Calculi, qui muliebrem vulvam exactiſſimè & artificioſiſſimè, quod totam ejus compagem concernit, referunt, & quos æneo iconiſmo eleganter ſculpi curavit, Dn. D. *Verdries.* E. N. C. *Cent. 3.* O. 88. d. *Hyſterol.* & Dn. D. *Valentin. Diſſ.* 5, d. *luſu natur*; vel qualem membro virili cum glande & præputio ac ſcroto ex aſſe ſimilem lepidâ formâ depinxit, Dn. D. à *Berniz.* D. 1. A. 2. O. 139.

Fuerunt, ſi penes me arbitrium valebit, *meæ Calculi* potiorem partem *Veſicales*, pauciſſimi vel nulli *Renales*, niſi qui adhuc parvuli & ſub formâ arenæ aut muci è renibus tranſivere in veſicam, ibi tractu temporis nomen & omen, conſiſtentiam & molem calculorum nacti. Nec mihi medico ceſſit illa in curam prius, niſi eô ipsô die, cùm ſemel & ſimul omnem ſuam lapicidinam exoneráſſet, unico brevi mirabili & felici paroxyſmo, quod repetitis dolorificis longisque conatibus fieri aſſolet in aliis nephritico-Calculoſis. Fuerunt quidem

multi,

multi, non tamen ſtupendo & ſupranaturali numero, ut Incantamenta accerſi debeant; Nec extra ordinem *magni*, ut excerni per naturam non potuerint, ſed, ut ſolent eſſe, ſi copiâ adſunt intra renes & veſicam, *fabas, caſtaneas & indicas nuces* magni. *Solus maximus* dono mihi datus à marito ponderabatur tribus unciis & drachmâ unâ p. c. fruſto petræ recenter reſciſſo ſimilior, quàm calculo ex microcoſmo, quadratus ex oblongo, ſuprà latiusculus, infrà ſtrictior, aculeatus, rufus & maculis albis interſperſus; cæteri albi & flaveſcentes, molles, compactiores, & pyritibus non diſſimiles, è fuſco nigricantes, ex quibus ſcintillæ eliciebantur, remixtis in iis Sale Nitroſo & Sulphure, niſi fucum fecerit artifex tabacophilus, interſperſis veris pyritibus, quod non ſuſpicor, ob præſentiam virorum theologo-medicorum, quibus fraus facilè patuiſſet vel inſpiciendo calculos, vel imitando ignis è calculis iisdem prolectionem atque ex eô inſimul argumento, quod habetur *in Praxi admirabili Zac. Luſitani* l. 2. O. 7. qui in veſica Viri calculum ℥xxxij, 64. Loth ſchwehr duriſſimum & ſiliceum reperiit, è quo cultri dorſo ignis evocabatur.

Qui mancipati ſunt calculis naturâ, diæta, ætate vel alio fato, in iis creantur utplurimum multi & plures, quàm hiſtoriis practicorum creditur, 30, 50, 80, 100, ad 1000, quod non portentum, ſed faſcinum habetur apud inexpertos. Sic in uno rene Principiſſæ 100. D. *Anton. de Pozzis*, 200. à puero tredecenni excretos, D. *Hilling.* & 2000. in Concionatore D. *Platerus* ſe vidiſſe, teſtantur; prout maſſa Sanguinis & lympha Salibus luxuriat, & tartarea multitudo abundantius aggeritur. Inde parvi, mediocres, magni, ponderoſi, quantò plus ſub incremento ſalini coaguli in dies cœpto ſyntagmati acceſſit, interdum ad multas unicas & libras. Quales è Pontificis Romani *Innocentii* XI. renibus ſiniſtro unum ℥ix, alterum è dextro ℥vj extrahere vidit D. *Lanzonus*, Diverſi colores albi, lutei, cineritii, flavi, rufi, nigri, pellucidi, cryſtallini, opaci, vel ex aliis coloribus remixti, è qua materia conflati, eâdem quoque colorati. Magis figuris lepidi, vulgariter longi, lati, ſphærici, angulares, obtuſi, plani, globuloſi, vel alii pro ſimilitudine continentis partis, cujus formam recipiunt. Rarius, ſurculoſi, corallini, ramoſi, botryformes. Rariſſimè infantes catulos, mures penes & vulvas præfigurantes, & quales oppidò curioſi ſunt ridiculi monſtroſi, vel ad quorum intuitum admiratio & riſus retineri non poſſunt. Solidi, molles, ſpongioſi, poroſi, la-

mellosi, graves, leves, friabiles, pro intensiori aut remissiori genialis coagulatoris energiâ, & concrescibilis glutinis viscíditate. Denique glabri, læves, scabrosi, æquales, inæquales, prout salia & sabulosa corpuscula figurantur, & accrescentibus calculis conglomerantur, hamata, adunca, acuta, quadrata, cubica, plana, p. quorum quodlibet pro Sui convenientiâ accommodum spatiolum occupat. Mirus quippe naturæ lusus est, & spermatis s. fermenti tartarei, ut ob calculorum varietatem medicus vaticinari non semper possit, unde aut ubi geniti fuerint? s. formæ s. colores, s. magnitudines spectentur, imprimis, si cum horrore aut pudore aspiciantur.

Calculi renales multiplices ac minores ob ductuum multitudinem & angustiam, etiam coloratiores sunt, p. pluri terrestri materia cum Salibus compaginati, in quantum frequentior in universum renum quàm vesicæ calculatio; p: etiam insitâ rerum Διαθέσι s. lapidoso stigmate magis quasi adusti, p. quoque ratione accidentium ætatum aut crasium tincti, in purulentis renibus albi, in pueris argillosi & cineritii ob pituitam, & in senibus ob siccam bilem flavi & crocei. Vesicalis verò plerumque unicus est, major ob cavitatis unitatem & amplitudinem, ac durior, non propter diversitatem Sabuli, quod idem per renes & uretheres ad vesicam devehitur, sed quod sabulosa congeries indesinenter canaliculos renum transcurrat, nec hospitetur longè aut quietè, sed intra vesicam s. in Cisternâ colligatur, ibi commoretur, & salsedines urinæ, quia graviores fundum petant, arctiorique per moram copulâ nectantur. Namque νεοσυςάτοι & velut embryonati calculi molliores, vetusti duriores sunt. D. *Menjod. d. Nephrid.* Hinc etiam graviores, & ob sua pondera ad enisum difficiliores, fortissimis pressionibus ac unitâ totius hominis & naturæ vi projiciendi, ut nonnunquam fiat cum *Crepitu, Fragore, & Sonoro Delapsu* è vesica, wie grosse Pfundsteine.

Fœmina Holsata animi relaxandi gratiâ suasu amicorum ad navim onerariam pertendit, comitatum illius secutura. Cùm ad oram navis perveniens illam sublato pede transcendere vellet cruribus divaricatis, medio epigastrio in rude lignum impegit, insidens ei instar equitantium: quo casu ferè exanimata & domum portata tantis cùm doloribus circa inferiorem ventrem conflictari cœpit, ut omnes, eam morituram, metuerent. Ferè ultimis laboribus victa ac naturæ victricis beneficio adjuta corpus solidum s. Calculum ingentem,

tem, ℥j. & ʒij. cum tanto fragore atque tonitru, ac si nubila lapidem fulminarem emitterent, Naturalibus ejaculata est, qui in femur dextrum explosus retractis stragulis repertus est ab assidentibus mulierculis. D. *Langellot. d. mirab. calcul. vesic. cur.* Et mulier rustica 36. ann. vesicæ calculo vexabatur adeò magno, ut non tantum gravissima mala pateretur, sed etiam mors instaret. En autem! cùm omnes quoad eventum ancipites essent, ægraque nunc in mortis cymba stare appareret, præter omnem spem momentanea & magnâ vi calculus ponderis ℥ß & ℈ij protrudebatur, nicht anders / als wann er geschnellet würde. D. *Schmieder.* E. N. C. *Cent.* 3. & 4. O. 161. manifestâ utique probâ, facilius sexum sequiorem ob variam brevitatem calculos excernere posse, quàm potiorem, quamvis interdum violenter & mirabiliter.

Nec minoris obstupescentiæ momentum extitit vulgò, meam Lithotocam totidem Calculos sine obstetricia manu operatoris ejusque instrumentis excrevisse, quibus ob multitudinem & varias sectionis species sex apparatus sistere solent celebres lithotomi. Quò plus increscunt calculi, eò minor spes, ut possint salvâ vitâ expelli, sæpius nulla. Malunt nonnulli doloribus suis ad necem torqueri, quàm Calculi sectores admittere, & qui sectionem flagitant, ubi catheterem in urethra & digiti intrusionem in ano sentiunt, mori satius ducunt, quàm tantis cruciatibus se excarnificandos tradere. D. *Pechlin.* l. 1. O. 1. Ne quid de pudore dicatur, quem æger sibi concipit ex situ & locatione corporis sub violenta operatione, quà Naturalia & Pudenda turpi modo visenda porriguntur. Hinc fato relicti, si diu calamitosam vitam duxerunt, felici non rarò catastrophe periculo liberantur, & præter expectationem naturæ bonitate certius evadunt, quàm qui incerto auxilio Operatoris Crudelitatem sustinent. Quali ipsius solo molimine mulier Bernates præmuniebatur à lithotomia, quæ singulis sex hebdomatibus per aliquot annos vomitu, alvo & vesica multos calculos deposuit, intermedio tempore & in senectutem florida. D. *Zwinger.* E. N. C. D. 2. A. 9. O. 137. etiam monialis virgo 19. annorum, quæ intra octiduum 79. calculos, maximam partem insignis magnitudinis & crassitiei spontè & ordinariâ viâ excrevit. D. *Lanzonus.* D. 2. A. 10. O. 90. Mulier quinquagenaria lumborum gravitate usque ad coxendicem affligebatur, atrocissimo una dolore circa dorsum & sinistrum renem secundum longitudinem uretheris ad pubem & vesicam cum stupore cruris, nausea, vomitu, anorexiâ, tu-

 more

more infimi ventris & ſummis mingendi conatibus, ut, niſi urinam ſabuloſo-turbidam excernere ſolita fuiſſet, vix erecta incedere valeret. Multis utebatur à medicis & mulieribus incaſſum, donec naturâ è ſiniſtro rene per ductum uretheris in veſicam impelleretur calculus. Hinc de cruciatu circa fundum veſicæ cum frequenti ſtillicidio mictus conqueſta chirurgum vocavit, qui cathetere calculum explorans aſſeruit, *Solam in Exciſione ſpem* ſupereſſe, quam ægra formidans eò minus ſubiit, quod eorum rariſſima audiverit aut viderit exempla, qui ſectione evaſerint à diſcrimine calculi. Igitur maluit naturæ parere, quàm occidi, cùm jam ætas inclinaret ad dolorum analyſin, & vires fractæ eſſent diuturno morbo. Cùm minimè cogitaret, ſingulari DEI providentiâ ad orificium veſicæ exterius protruſus eſt; Juſſa à medico ſcorpionum oleo pudenda ungere, & per cubiculum deambulare: Vix aliquot paſſus perfecit, & calculum excuſſit oblongum ſubfuſcum & ℥ij. ℥ß. pendentem. D. *Angelus*, D. 1. A. 6. & 7. O. 195. & Vidua 81. annor. per totam vitam paupere frugalitate victitans paſſa eſt inter urinæ ſtillicidium immanes dolores è calculo veſicæ per triennium continuos. Tandem excluſit Sola calculum ovalis conformationis & quantitatis, ſubſtantiæ ſolidæ, coloris è cinereo flaveſcentis; craſſitudinis duorum digitorum ponderisque ℥ij & ʒij. D. *Sommer*, E. N. C. D. 2. A. 2. O. 180.

Vir Conſularis 78. annor. ex tuberculo ſupra genu cum effluente ſubacri ſero calculos & arenas eructavit eorumque non exiguam copiam collegit. D. *Graß*. Et Illuſtris Vir ſæpius arthritide & calculo vexatus ſubinde in largiſſimum ſudorem ſolvebatur, quô non lympham aut ſuetos per poros liquores exſudavit, ſed quod mirabile, manipulos arenarum, quas manu abſterſit, mirâ internæ lithogeneſias non tamen inauditâ Criſi. D. *Barthol.* C. 1. *Hiſt.* 34. Viri ſexagenarii hiſtoriola arthritico-nephritici, cujus tota facies aliquot horis ante obitum calce obducebatur, ut detergi debuerit vino calido, videatur in *Illuſtr.* Dn. D. *Riedlin.* An. 1696. m. *Novembr.* O. 9. & alius Illuſtriſſimi Baronis à juventute Podagrici, qui paucis ante mortem ſeptimanis ſubter oculos & circa radicem naſi Cretam ſudabat, ita ut hâc conſperſus viſus fuerit, *in Jatromn. Theor. Pract. Illuſtr.* Dn. D. *Lentilii* p. 1. c. 49. Quinimò excrementa merè lapidea per alvum cum ſtrepitu & murmure depoſita. D. *Tudeecius*; Nobilem Virum perſentitâ ad umbilicum gravitate, ac ſi pondus in ventre gereret, derepentè

audito

audito Sonitu in hypogastriis cum clamore & lamentatione, die Blase sey ihm zersprungen / inter scybala 230. calculos siliceos, & mulierem Batavam post tormina & rugitus ventris 150. calculos cacâsse, notavit D. *Faber* in *Epist.* ad *D. Horstium*. Præter alios multos & mirabiles, qui ex omnibus totius corporis partibus, exceptâ omninò nullâ vel minimâ vel nobilissimâ, exempti visi sunt à Practicis, ut validum plebi vel aliis, qui motus naturæ, vel extraordinariam calculorum pathologiam ignorant, argumentum existat, rariora istiusmodi vel similia calculosorum. Contingentia *Fascinis & Dæmonibus* attribuendi, ipsosque ægros de magiâ & veneficiis injustè inculpandi, ut audiatur dici: Es könne solches nicht natürlich seyn/ der Teuffel habe sein Spiel mit unter / es seye Zauberey / der Patient müsse ein Hexenmaister oder Trutte seyn / diß oder jenes seye in den Leib hinein gezaubert worden. &c. &c. ut verissimè *Plinius*, In quorundam toto corpore venenum gignitur, in aliorum oculis, in aliorum lingua, ne quidquam mali existeret, quod in homine *mendace & maledicente*, non esset.

Qualis horridus, turpis & hostilis rumor super *meam lithotocam* ejusque insontes calculos in patria increbuit quoque, ac si Venefica esset, aut satanicis præstigiis calculi ejus corpori vel injecti, vel inter dolorosas mictiones forinsecus infido fascinationis prætextu dispersi fuissent, cujus turpiloquii fides sit apud alios, penes me non, qui p. oculatus testis adstiti fœminæ, p. convinci hactenus nondum potui, credere, Veneficas sibi ipsis nocere, dolores facere & morbos infligere, vel exerceri fascinationem *Immissione Diabolicâ* calculorum, qui consentientibus mihi magnis medicis, Incantationis nec materia, nec objectum nec effectus habiti fuerunt, potius in variis supra naturam proclamatis morbis subesse à medicis crediti omnem dæmoniæ aut fascini opinionem sustulerunt, post mortes Sectionibus lustrati & reperti. Uxor aurifabri acutissimis doloribus in ventre & inguinibus subitò prehendebatur, lecto iisdem affixa per annos sine remissione passionis, habita exinde pro *Fascinata*, & denique tabe demortua. Apertura monstravit Os pubis valdè protensum, justo crassius & topho incrustatum, Vesicam sphacelatam, nigram, constrictam, duram, & in eâ *Calculum ovo gallinaceo magnum, rotundum, album, echinaceum*: In urethrâ *alium minorem* columbino ovo majorem, uterum relaxatum, ventriculum & intestina tenuia vacua, ac minus in illis aliqua *Incantationis* Vestigia. Quæsitum inter Doctores, *an Incantata fuerit?* & *Calcu-*

Calculus induci possit Fascino? D. *Hermann.* D. 1. A. 2. O. 171. & Conjux militaris incepit de insolito infra umbilicum cruciatu queri cum assumptorum continuo vomitu. Mulieres affectionem uterinam prætexere; Ejulavit noctu dieque. Explorato manus tactu abdomine sentitus fuit in loco doloris durus globus, & venter increvit. Petiit inspectionem anatomicam post mortem, rata, se *veneficiis* tactam fuisse. Visa tum sunt distenta fellis vesica à decem lapillis majoribus & aliquot minoribus, qui ponderabantur ℥iij. ad uterum massa carnea oblonga pugnum magna undiquaque clausa nullibi ingressum aut exitum habens, è quâ incisâ profluxit materia flavæ ceræ similis, melleæ consistentiæ, nullius fœtoris, & in hac sanie latuerunt manipulus variè inter se mixtorum crinium, & officula maxillaria, tres dentes molares, & tria alia officula, ponderis ʒijß. D. *Moeren d. Inject.* quæ intus genita, quàm incantamentis ab extra illata fuisse, asserere ex incomparabili suâ Physico-Medico-Practicâ Eruditione iubuit *Per-Illustris Dominus Noster PRÆSES*, Dn. D. *Schröeckius*, E. N. C. D. 3. A. 7. & 8. O. 123.

Negatio Fascini species Atheismi est *Illustri* Dn. D. *Wedelio*, & existentiam malitiam venenositatemque sagarum negare, idem ac Solem negare. *Diss.* d. *morb. è fascin.* Insimul tenerrimæ conscientiæ res apud medicos, vulgi autem ex protervâ simplicitate desipientis malus mos, vel etiam suspiciosorum ægrotantium præjuditiosa voluntas, morbos, quorum causæ non statim manifestantur, aut dolorosa pathemata non ocyus mitigantur, *Crimini magiæ pacto Satanico & incantamentis* addicere, cum ad magicam vim fascini pergere nec conveniat, nec liceat, antequam omnes vires ordinariarum causarum excussæ fuerint ex omni parte, quà naturales & arti conformes, præternaturales aut dæmoniæ accusabiles haberi mereantur; Prius audiantur experti medici, qui dicant, quid & quantum Dæmon valeat? an ipsi competat, morbos humano generi infligere, & morbi magici adeò multum differant à naturalibus? D. *Hofmann. Dissert.* d. *Potent. Diabol. in corpor. human.* Quorundam enim admiranda facies, causarum obscuritas, naturalium & supranaturalium intercedens affinitas, & versipellis dæmon multum dubii ac laboris facessunt, ut fraus distinguatur à certitudine; Ludit sæpè natura, & suis minus providis cultoribus illudit. Ludit astutus Satanas, & incautos fucis suis fallit & occœcat. Oportet, aliunde sublimium morborum causas arcessere, quàm

ab

ab effectibus diabolicis aut magicis, ac ad leges pathologiæ distinctius examinare, imò non tanti faciendus est infernalis hostis ut ejus operum Inquisitioni indulgeatur, magis summâ in Deum fiducia & assiduis precibus contemnendus, & sic facilè malitia ejus destruetur. Dn. D, *Doleus in Epistol.* ad Dn. D. *Waldschmid.*

Pereleganter D. *Pechlinus* super casum sagæ veneficiis inductum falsò creditum pro ingenio, more & Stylo suo doctè & concisè hæc disserit. Quæ vulgo occurrunt actionum ludibria, ea omnia ad causarum naturalium seriem referre, leve nimis & temeritati proximum videtur, & ut speciosa quædam in rem illam afferri soleant, non tamen sic esse comparata video, ut severius examen sustineant. At, cùm in naturalium & quotidianorum effectuum causis deducendis pleraque aciem nostram effugiant, insolens sit in remotissimis quibusvis & abstractivis conscientiam arcanorum sibi vindicare. Ferè cognitum est ex humorum natura & mechanico partium positu, quousque activitatis sphæra materialiter excurrat, quæ ipsa, cum sint regula sui & obliqui, quod de recto dicitur, de actionibus præter naturam, in quantum illæ etiam modum inde accipiant, perinde existimandum est. Sunt peregrina quædam & insolita, quorum conspectus initiò horrendus cum tempore Naturalium causarum recensui pulchrê se accommodat. Sunt alia, quæ si juxta circumstantias suas morosè excuciantur, quamvis specie & afficiendi modô illis simillima, tamen ingenii aleam abnuunt, arcanioris principii ductui relicta. Adeò ego, *concludit*, qui in illâ animorum ostentatione lusus & consideratæ disputationis acumina admirari soleo, puto, ubi naturalibus mediis plurimùm, principio autem cuidam Spirituali omnis Causandi ratio relinqui debeat, sphæram nostram supergressa. Inter illa quæ eveniunt prodigia, Naturalia alia esse, alia magica, non temerè inficiandum. Sunt morbosarum actionum quædam *Excentricitates*, quas facilè intensis duntaxat ejusdem actionis aut qualitatis gradibus cum ratione concilies l. 2. O. 55.

Sunt Injecta, quæ materiam visibilem supponunt, spicula spinæ, aciculæ, paleæ pili, cultri ferraturæ, lapilli, testæ ovorum ollarumque, siliquæ, insecta, lintea, artificum organa, &c. quæ insensibiliter injiciuntur, & invisibili modo corpus intrant, tamen diris cruciatibus detinentur, & iterum rejiciuntur, licet majora

sint foramine, per quod intromittuntur. Res hæc passim visa & à doctis admissa. Miserrimus Scurra diabolus, cum nihil Reale ipsi relictum sit in potestate aut libertate, tantùm vanas apparentias habet, quippe mendaciorum Pater res mentitur, & falsò apparere facit jam à mundi initio. Et in hujusmodi præstigiis nihil cooperatur homo. Quô autem modô ille suas res prius visibiles invisibiles faciat, aut involvat Spiritu suo invisibili, s. id agat per oculorum effascinationem, s. etiam e o ipso, quo res aliqua aliam corporaliter penetrat, ita curiosus operum Satanicorum indagator esse non possum, quæ sibi in proprietate competunt. Sufficit mihi, quod quæ credita sunt illius esse, hominis magis naturæ, omnimodam verò Satanæ ac pauperrimam miseriam esse. *Helmont.* d. *Inject.* & *Injacul. mod. intrand.* Consistunt enim Incantatorii morbi Reverâ in fascinatione, & diabolus fucum facit suis ludibriis atque inter sudores, vomitus vel puris effluxum sæpè quædam immiscet, quibus mancipiis suis se potentem, aliis terribilem reddere vult: Accedit hominum credulitas & garrulitas, quâ circa quæ obstupescunt, plerumque cum circumstantiarum augmento aliis narrantur, aut in majus efferuntur, etiam ut alii terrore repleantur. D. *Waldschm. in Epist. ad* D. *Dolæum.* In quibus Casibus *Tò* Θεῖον *Hippocratis* non temnendum, sed venerandum & indagandum esse arbitratur, sicque nec potentiam transmittentis dæmonis Corpora p. n. in corpus in totum negat, nec ex omni parte concedi solitam supranaturalis virtutis circa hunc immissionis actum attributionem affirmat aut vindicat *Perillustris* Dn. D. *Schröck.* Si cacodæmonis, *scribit*, summam velocitatem consideramus, varias res è fascinatorum corporibus excretas vel inveniendas in iisdem ipso excretionis actu summa præstigiarum arte celerrimè eum supponere, aut corpori in ejus sectione injicere posse, dicemus; quod tamen ab eo ita aut saltem semper fieri, nemo prudens defendere præfractè subsistinebit. cùm non in omnibus insignis ejusdem in rebus naturalibus scientia, quâ instructus sæpè talia supra naturam, quæ sunt, agere videtur, modos perplures alios intellectui nostro admodum imbecilli & cœcutienti non adeò perspectos adhibere valet: imò, si corpora insolita facilioris imprimis flexuræ, vel per naturales meatus oculis licet nostris non perceptibiles artificiosè impellere, aut etiam per vulnus dextrè inflictum, & non

minus

minus ſubtiliter iterum absque morâ conſolidatum eum immittere poſſe, dicamus, non errabimus, quia tam prægrandes in Ventriculum deglutitas aut aliter ab extra violenter intruſas res varias vias & in conſuetos mæandros aut immenſum dilatatos ad aliâ loca, inteſtinum, uterum, omentum, pleuram, veſicam &c. delatas fuiſſe, tot exemplis paſſim à fide dignis memoratis convincimur, ut dubitare velle de iis, grande facinus reputandum foret. *in Schol. ad* O. 140. E. N. C. D. 2. A. 1.

Quô communior aut frequentior morbus eſt, eò minus crimen rationemque *Faſcini* habet aut tuetur. Puderet Diabolum, milleartificem, potentem, curioſum, ac ſuperbum ſpiritum vulgaribus morbis graſſari inter homines, quales toto die cernuntur in multis, & nauci æſtimantur. Nullus autem ferè familiarior & crebrior, quàm calculus, qui nullatenus *Incantationi* imputatur. Plurimi quippe incantati & toto ſuo corpore à dæmonibus ſ. calculis obſeſſi eſſent, qui omnes partes occupare ſolent, ad quas ſerum appellit, & quicquid in eo terreo-ſalinum eſt, paulatim ad concretionem calculorum juvat. Quot inſuper Calculi, tot crudeles tortores, qui affligunt modô miſerabili: imò etiam calculorum causâ homo ἐκ γενετῆς à naturâ ſeu nativitate morbus eſt, & *ſi Homo unum eſſet*, h. e. ſi ex unico elemento aut humore conſtaret, *nentiquam doleret*, h. e. non eſſet ullum internum morbi principium, cum oriatur morbus ex partium ſ. continentium ſ. contentarum luctâ vel exceſſu, ſiquidem multa inſunt in corpore, quæ cùm mutuò inter ſe præter naturam caleſcunt & refrigerantur, ſiccantur & humectantur, morbos pariunt. *Hippocr. l. d. nat. hom.* & D. *Sponius in aphor. nov.* ſ. 2. a. 2. Potius poſitis ponendis circa ætiologias & modos λιθοποιήσεως, quæ ſ. veterum ſententiæ, ſ. recentiorum rationes excutiantur, ſpecioſa, inſimul ingenioſiſſimis ardua & obſcura eſt, maximè calculo laborant, & ex renum affectionibus & urinæ ſtillicidio, ubi aquas omnigenas bibunt, & de magnis fluminibus, in quæ alia deferuntur, & de ſtagno, in quod fluxiones multæ ac omnis generis deveniunt, & qui aquis invectitiis utuntur, quæ ex longinquo & non brevi locorum intervallo afferuntur. Non enim fieri poteſt, ut alia aqua ſit ſimilis alii, ſed aliæ dulces ſunt, aliæ ſalſæ & aluminoſæ, aliæ de calidis fluunt: ubi verò hæ ſimul inter ſe miſcentur, diſſident, & quæ fortiſſima eſt, ſemper

 ſuperat.

ſuperat. *Hippocr. libell. d. aër. aq. & loc.* Qui ibidem *optimas* aquas illas laudat, quæ ex ſublimibus locis ac terreis collibus fluant, albæ ſint & dulces, ac hyeme calidæ, æſtate frigidæ, & quarum ſcaturigines ad exortus Solis æſtivos erumpant: *Peſſimas* verò, quæ ad auſtrum & inter æſtivum ortum atque occaſum exſiliant, quia multum pravi humoris illis inſit, & odorem gravem habeant, raucedinem vocumque aſperitatem bibentibus afferant, niſi decoquantur & excolentur. Petroſas aquas agreſtis indolis eſſe, conditionis ſalinæ mineralis & fractrices digeſtionum, quatenus aliena contineant, & humoribus ſylveſtrem inclinationem induant; Aquæ ineſſe mediam vitam, cui proprium ſit, archeum excitare, & inficere in commutatione boni alimenti in Duritiem Petroſam, aſſerit *van Helmont. Tartar. non in potu.* annuit Dn. D. *Reiſelius*, Aquam non puram eſſe, ſed habere poris ſuis interſertas ac admiſtas particulas igneas aëreas terreasque, quæ microſcopio, defecatione & evaporatione agnoſcantur, ut pateat, habere aquam Salem Naturæ. E. N. C. D. 1. a. 8. O. 98. Et qui Sal teramque omnium corporum baſin conſtituit, D. *Kozack à Prachien*, nec aſtrorum ſplendores, nec terræ opacitatem, nec ignis æſtum, nec aquæ frigus, nec aëris pondus, nec metallorum ſoliditatem, nec mineralium fragilitatem, nec *fontium ſcaturigines* ſine Sale eſſe, quæ ſint, ac ſpiritum quendam inferiorem ſ. *virtutes terreſtres*, quæ agant in ſcenam ſuperiorem propius in hominem, inducendo ipſi ſanitatem & multiplices dolores, & quæ humores ſalſos è minerali ſcenâ in illum vel pulſos vel attractos ad corporis partes pellant calculorumque generationem auſpicentur & terminentur. *Comment. de Sale.* L. 3. c. 1.

Equidem olim *Ariſtoteles* mirabundus quæſivit in *problemat.* Cur nullum animal, niſi homo, calculoſum fiat? Forſan caruerunt t. t. bruta calculis, vel defecit in philoſophis & medicis curioſitas aut peritia inquirendi calculos in animalibus; Vetat id adhuc noſtris ſeculis lex publica, ne demortua animalia diſſecentur à medicis, quæ excoriatoribus traduntur, qui præter pretium corii & mercedem vecturæ nihil lucri habent. Sed *Equis*, qui homini, morbos contingere, ſcripſit *Plinius Hiſtor. Natur.* l. 8. c. 42. ergò etiam calculos; quales Hippolithos p. exciſos p. excretos coloribus & ſtructura nitidiſſimos alium ℔ij, alium ℔iij alium ℥ß ℥iij. ℈i alios ad ℥xviij. ℈ij ℥ix. & ℥vj. *Illuſtres* Dn. D. *Schrö. kius* & *Wedelius* viderunt magnifici teſtes *in Hiſtoriis*

Hippo-

Hippolithorum. Et in curioſa genealogia calculorum macro- & microcoſmi conteſtatur D. *Krügerus* de equo Ducali Würtembergico, qui *Stuttgardiæ* per vices excreverit calculos ovales, virtute ſua bezoardicos, & videndos ſibi oblatos à magiſtro Equitum. ſ. 2. §. 8. In meatu urinario *bovis*, & alterutro rene *vaccæ* arenam metallicam, & globos rotundos, ſplendentes ac mineram auri æmulantes lapides reperierunt, eorumque geneſin aquis ſpiritu lapidifico imprægnatis, vel herbis minerali ſeminio turgidis adjudicarunt, Dn. D. *Schröckius* & *Sachſius* E. N. C. D. 1. a. 4. & 5. O. 168. *Canis* difficulter cum urina 50. calculos minxit, maximum 20. reliquos 16. 18. 12. & 5. granorum. Dn. D. *Wedel.* D. 1. a. 3. O. 23. quos Ille Rarothecæ ſuæ inſeruit. In cerebro *damæ* calculum fabâ majorem & ʒj gravem, D. *Menzelius*, & in corde *Capreoli* lapidem ℥ij. invenit Dn. D. *Warwiz.* D. 2. a. 1, O. 133. In ventriculis *rupicaprarum* generantur globi ſ. pilæ ex triplici ſubſtantiâ compoſitæ, quarum gemina interior fibras radicum, aut filamenta & cauliculos plantarum ſucco concreto & exſiccatione in pulverem ſubtilem fatiſcente compacta refert, exterior coriaceam cutem, interdum lignoſum corticem, ſubinde cruſtam lapideam æmulatur, ut plurimùm coloris cineritii nigri ac ex luteo obſcuri & magnitudinis, quæ manum in pugnum contractam rarò excedit, ad genuinas calculos pecorum non numerandæ, niſi quatenus oſſicula animalium lapidum nomine veniunt, v. g. percarum & cyprinorum, item muſtelarum fluviatilium & cancrorum. &c D. *Velſchius Diſſ. d. ægagropbil.* ſcil. dum cervi- ſeu ſylveſtres aut alpeſtres capræ in paſcuis aut rupibus varia devorant, cùm feræ omnes, excepto cervo, ruminare non credantur, concoctionem difficilius ſubeuntia, quæ moram in ſtomacho trahunt, & à chylo lapideſcente incruſtantur. Vel, ſi conjecturari licet circa talem globum ἐγγάστριον, eadem ætiologia locum habet, quæ de *pilis vitulinis*, Haarballen / ægagropilis rarioribus eorumque fundamento concretionis extrinſeco præſumitur, quod ſint pili cutis lambendo ori ingeſti & propelli à fibris ſtringentibus ventriculi neſcii vario motu agitati conglobati atque infinitis cirris implicari ſoliti, aridioribus in locis, & ubi potu ſatiari non poſſunt. Vel qui frequentius in Hollandia viſuntur, ubi conſuetum eſt vitulos ultra dimidium annum ſolo lacte nutrire, in ſtabulo coërcere, nec unquam in prata emittere, illi ſic incarcerati præ luxuriâ vel aviditate

pastus sociorum femora vel alias pilosas partes lambendo deglabrant deglutiuntque, qui in ventriculo in molem crescunt & morbosa animalia faciunt, nisi maturè jugulentur. D. *Vollgnad.* E. N. C. D. 1. a. 2. O. 110. Qualium ovorum vitulinorum topho incrustatorum icones elegantissimas exhibet *Dn. Ferrante Imperato* Italus in Histor Natural. l. 28. cum hac inscriptione: *Balla generata nel ventre vaccino dipeli involti è converta di substanza tophacea.* Cervinos alios ℥iij. & ℥ij siliceæ duritiei, item Porcinum ponderis ʒj & ℈ij. recenset Dn. D. *Wedelius.*

Animales alii lapides mererentur cum prolixâ collaudatione annumerari, nisi de verâ eorum existentia publicè dubitaretur; v. g. *Serpentinus*, magnes venenorum dictus, cùm insitum magnetissimum habere perhibetur, ut ictui venenati animalis admotus tenacissime instar sanguisugæ adhæreat hæreatque, donec exsucto omni veneno satur & spontè decidat. Quod experimentum fecisse. P. *Kircherum* memorat de *Berniz*, D. M. *in fascicul. alter. medic. singular.* in cane ejusque vulnere à viperâ inflicto, qui extractâ à lapide sanie lethifera convaluerit. *Arachnolithos*, s. aranearum, qualem inclusa cum Sale communi araneâ in vitro 15. dierum spatio cineritium nigricantibus punctulis distinctum & omninò obscurum se obtinuisse, tradit D. *Francus in Prodrom. arachnolithograph.* & D. *Dillenius* d. *lapid. aran.* E. N. C. *Cent.* 3. O. 44. ac cujus efficaciam in fluxibus cruentis febribus & peste laudat D. *Brelochius.* *Bufonites* s. propriè *Echinometrites*, fœtus magis Echini marini, Spatagi Brissi, vel horum generis testudinum, in quarum testis generatur iste lapis per alicujus limi aut materiæ lapidescentis accretionem, adjuvante viscididitate demortui in testæ suæ cavitate insecti, juxta D. *Menzel.* D. 2. a. 9. O. 72. *Corvinus*, qualem è ventre sclopeto trajecti corvi ovalem ferrugineum & ℥ß. ℈ij. gravem siliceum & mineram martiatam in se comprobantem descripsit D. *Jungius*, cum hac Epicrisi, illum à corvo non genitum sed deglutitum fuisse ex minera, hancque illius proprietatem esse, nî purum mendacium sit, ut citò & clam ablatus è nido corvi & gestatus divitias augeat, honores conciliet ac futurorum eventum prædicat. D. 1. a. 4. & 5. O. 107. & *Ætites* s. *aquilaris*, de quô fabulosum ridet Dn. D. *Bauschius*. utrumque hoc, illum in aquilarum corporibus generari, aut ab iis in nidos portari, & pro diversa applicatione abortum præcavere ac partum promovere, illud

illud brachio, hoc femori alligatum. *Schediasm. d. lap. ætit.* Quocunque autem modo id fieri dicatur aut credatur, attractione vel expulsione, hoc certius est, si centum lapides ætitæ uno acervo congerantur, non trahent ad se, aut loco suo dimovebunt minimam partem unius pueruli. D. *Primeros d. vulg. error. in medic.* l. 4. c. 57. quod memorabili tamen exemplo refutat, & virtutem ætitæ cùm corroborativam tum extractivam fœtus peculiari observatione vindicat D. *Albrecht.* E. N. C. D. 2. a 9. O. 80. nisi de procurato per hoc amuletum partu quadret ejusdem D. *Primerosii* argumentatio: Non sequitur, si me scribente pluit, scriptionem meam esse causam pluviæ, sic neque si præsente lapide mulier peperit, lapidem partus causam fuisse. *Ibid.* l. c.

Quàm verissimè ideò *van Helmont*; Scimus equidem, quod Divina Bonitas in vegetabili & animali familia lapides creaverit, suis speciebus inutiles ac frustraneos, penè monstrosos, imò suis individuis alias onerosos, nisi nobis alicui bono conditi essent. Hinc in belluis obnascuntur calculi, & non in pœnam animalis, nec in meritum dati, qui nobis in medicamina succrescunt. *d. lithias.* c. 7. *Duel. resol.* Sic alpestrium caprarum globi, quorum 60. grana Imperiali solvuntur in pharmacopoliis, penè omnibus morbis eximium medicamentum præbent, quippe inter *universales* & qui totum corpus occupant, omnium febrium generi, in quibus sudores moveri debent, maximè quartanæ intermittenti & hæmitritæo nec non ob alexiteriam vim malignis & pestilentibus febribus, variolis, morbillis, lui hungaricæ, sudori anglico, febri malignæ cum spasmo & in ipsâ peste, præservandi & curandi gratià. Ex *particularibus* ob eximiam vim siccandi hydrocephalo, propter qualitatem reconditam diaphoreticam cephalalgiæ & hemicraniæ, cataphoræ, vertigini, memoriæ imbecilli, amentiæ ex frigido-humida cerebri intemperie, melancholiæ hypochondriacæ eroticæ & hystericæ, maniæ, hydrophobiæ, lethargo, tremori, paralysi, convulsioni, incubo, catalepsi, epilepsiæ, apolexiæ, catharro, oculorum auriumque affectibus, linguæ resolutioni, balbutiei, aphoniæ, ptyelismo è cerebro & ventriculo, phthisi, pleuritidi, asthmati, tussi pertinaciori, cordis palpitationi, lipothymiæ, anorexiæ, coctionum læsionibus, contumaci singultui, nauseæ, vomitibus, coli doloribus, lienteriæ cœliacæ & diarrhœæ ex hypercatharsi & venenis, dysenteriæ, pancrea-

tis

tis, hepatis & lienis obstructionibus, ictero nigro, affectioni hypochondriacæ, *Calculo Renum*, impotentiæ virili, gonorrhœæ, uteri flatulentiis, imbecillitati & dolori, fluori muliebri, morbo virgineo, præfocationibus hystericis, sterilitati, partus difficultatibus secundinis morantibus, torminibus à partu, mènstruorum & lochiorum suppressioni, arthritidi, sanguini concreto ex casu, venenis omnibus, exceptis quæ acrimoniâ potius rodunt, quàm vi occultâ necant, philtris & incantamentis. D. *Velschius* l. c. contra D. *Ettmüllerum*, qui eos virium paucarum, & nihil in recessu habere, commentatur *in Ludovic. Pharmac.* t. 8. *d. diaphor. animal.* Potentius sanè & nobilius pharmacum ipso lapide Bezoar, cujus primaria virtus primarum viarum acidum absorbet, non ita autem hyperbolica portentosa aut mille aliis experientiis edocta est, qualis ob raritatem & opinionem hominum ipsi tribuitur. Dn. D *Major de Corn. Capr. bezoar.* Cui multum prævalere perhibetur pretio & facultate medicâ Bezoar Indicus è Simiis Berneæ majoribus, cujus duo grana superant sex grana lapidis è capris, & lapis ille 6. drachmarum 50. 60. 100. Imperialibus venditur, clarus cum cæteris bezoardicis Orientalibus in affectibus ex acido circa Cor in Cholera aliisque. qui acidæ effervescentiæ soboles sunt. Dn. D. *Volkamer Senior*, E. N. C. D 2. a. 2. O. 189. Hippolithos quoque bezoardicos esse, & bezoar Vicarium s. Equinum Roß-bezoar vocari, globulis bezhoardicis ex utrâque Indiâ præferendos, ob urinositatem suam eminenter nares ferientem sub triturâ, malignitatibus & putridis, venenis resistere, sudores movere & crassos succos incidere posse, recenset ex Libav. Epistol ad D. Hornung. *Illustr.* Dn. D. *Schröck.* Et hippolithum s. lapidem de Bombaco ex equo ferô excisum bezoar æmulum eleganter concretum & crustulatim compactum Lusitanos usurpare contra Colicam, varias febres, melancholiam & præcipuè facilitandum partum cum vino & aqua, memorat D. *Grimmius in medic. Indor.*

Etiam in *Homine*, qui ab ipso ortu morbidus est, proxima remedia promi possunt cæteris excellentiora in hoc morbi genere. In calculo morbi & mortis causâ simul sanitatis & vitæ salus delitescere creditur & reverâ comprobatur, ubi cætera deficiunt, vel sine ope exhibentur. Ob qualitates insigniter alexipharmacas, resolventes, præcipitantes & diureticas, sudorem & urinam movere, quin & in peste certioris ac majoris usus esse, quàm toties decantatum Bezoar,

&

& tâm contra venena quàm alios morbos multos ipsi anteferendum, refertur à magnis medicis Dn. D. *Borichio* in Epist. ad D. *Barthol* d. var. curios. in itin. anglic. & D. *Bauhino* d. lap. bezoar. Contra lithiasin ludi humani in pollinem triti ℥j. quotidiè manè ex aqua raphani aut saxifragiæ exhibuit D. *Virsungus*, & pulveri suo lithontriptico celebrium, ut fama fuit, virium, quem describit D. *Beckers in medic. microcosm.* largiter illum admiscuit D. *Weickardus*, quamvis è modernis Practicis imitatores habeant vel nullos vel paucos vel timidos, meticuloso hoc præjudicio perterriti, generari calculorum pullos quasi, si pulverulenti veteres calculi intus sumantur, & moram habeant, in primum sui generis principium iterum transmutari, converti, renovari; Sicuti statuitur de *lumbricis* fieri, qui agyrtarum & mulierum encomiis vermium antidotum & expulsivum remedium sint, post excretionem per alvum in pulverem redacti & cum vehiculo simul anthelmintico hausti; Siquidem minus tutum imò damnosum & falsum rideri debeat consilium, cùm simile non pellat simile, quod contrarietatis potius est, ac lupus lupum, cornix cornicem amare magis soleat, imò præcipuum & maximè necessarium curæ artificium sit in Verminantibus, vermes non tàm enecare & expellere, quàm insimul putridam materiam, ex qua generantur, & in qua hospitantur, evacuare, ne alii producantur è proprio materiali s. seminio iufinitis modis propagabili. Dn. D. *Wedel. Am. M. M.* l. 2. f. 2. c. 8. D. *ab Heers Obs.* 9. & D. *Grossius* de terrestrium lumbricorum regeneratione, qui pro usu antiarthritico lumbricos terr-vitreæ cucurbitæ cum alembico cœco immissos & calore in liquorem vel mucilaginem lubricam conversos ac per Colaturam à residuo magmate filtratos pauco post tempore in superficie vitri, in quod filtratum infuderat, noviter generatos vivos reptantes & primævis omninò similes mirabundus conspexit. E. N. C. D. 2. a. 8. O. 89.

Nos de *Calculis*, qui ad pathologiam animatam aut verminosam non spectant, & quorum fundamentum regenerativum iis jam resolutis & destructis intra corpus in nullo hactenus conspicuum fuit, nisi per conjecturas subtiliter philosophantium. Imò potentivum prophylacticum diversis processibus ex illis elici posse, arcanum non est, qui Chymicos legunt, vel alios curiosorum Naturalium Scriptores, è quibus etiam D. *Sylv. Boccone*, *Ord. Cisterc. Monachus & Botanicus* antehac *Toscaniensis* symbola sua adjecit in seinen curieusen Anmerckun-

gen über natürliche Dinge/ Obs. 21. Tale est, quod habet *Crollius in Basil. Chym.* ℞. *Calculi humani*, q. p. calcina igne primùm moderato, post validiori, pulverisatum cum *sulphure* & *Nitro* æqualibus portionibus, reverbera, donec in pulverem albissimum vertatur. Solve cum *succo berberum* clarificato in leni cinerum igne, donec totus solutus sit. Rejectis exiguis fecibus abstrahe menstruum per destillationem vel evaporationem, & manet Sal ipsum in fundo, quod in marmore loco frigido humido expositum in liquorem vertitur, cujus guttæ 6. 8. 10. 15. 20. cum vino exhibitæ Lunâ decrescente Calculum efficaciter solvunt, & per urinam expellunt. D. *Beguin. Tyrocin. Chym.* l. 2. c. 17. Vel ejus oleum aut liquor. ℞. *Calculi Humani* ℥j. *Ol. tartar. per deliquium* parati ℥ij. Misc. & in matracio s. Phiola digere in Balneo quinque diebus, postea eodem dierum spacio exsicca lento arenæ calore; extremò pulverisa; affunde Spiritum Vini, quem dehinc leni Balnei vapore evoca, & remanebit oleum. Aut quod laudat D. *Hartmannus in Praxi Manuscriptâ* oleum Ludi secretioris præparationis. ℞. *Lapidis microcosmici* ℥iij. *Carbonum Faginorum* ℥vj. M. invicem, tum in tigillo supernè tegula tectò ure in fornace figulino per 24. horas, & spiritus carbonum beneficio ignis duritiem lapidis emollit carbonesque absumuntur. Huic misturæ affunde aquam ferventem, vel coque in eadem, & pulvis calculi solvitur in aquam citrinam. Si quid residuum fuerit ab hac solutione, denuò exsiccetur, & adjecto recenti carbonum pulvere vicissim calcinetur, ut antea. Solutiones omnes evaporando redige in Salem: noviter conjuge cum ana pulveris carbonum & calcina; iterum solve in aqua communi ebulliendo, ut sincerior pars post repetitam evaporationem in Salem candidissimum abeat sæpius in Crystallum transeuntem, si in loco humido frigido aliquandiu repositus fuerit. Hunc Salem combina cum Spiritu Vini optimo, & ex retorta per multa cohobia tamdiu destillando urge: donec penitus cum S. V. transierit. Postremo hunc in leni Balneo aufer, & relinquitur Oleum Ludi, cujus guttæ à tribus ad duodecim in liquore convenienti aliquoties sumtæ singulis diebus tantum *Semel* omnes obstructiones totius corporis aperiunt inque mucilaginem penè sine omni dolore *Compactos calculos* redigunt, & ad expulsionem disponunt. Quæ arcana & specificè resolutiva facultas an Soli Calculo humano & semper, præ aliis sic dictis Lithontripicis conveniat? an simile simili curetur? aut benè jam duratus Calculus

lus ludo ipso conteri possit, hincque adeò extolli mereatur? ego asserere nolo, tum proprio hactenus Experimenti successu destitutus, tum celebrium medicorum insignibus in Contrarium testimoniis in dubio relictus, quippe legantur Ratiocinia D. *Harvæi in libell. d. arte curandi morb. Expectatione*, c. 33 D. *Pechlini* l. 1. O. 13. & *van Helmont. d. lithiaf.* c. 5. §. 19. Etenim universale calculi solvens in corpore nondum inventum fuit à medicis, utut simpliciter negandum non sit, dari talia Remedia sublimiora, quæ calculum confringunt, licet satis pauca & rara; Præstat coagulationem calculorum prohibere, quàm illos intra corpus dissolvere, quod facere extra corpus egregiè successit multis. D. *Ettmüller. Tom. I. artic. 3. membr. 3. Cap. 2. sect. 1. d. diuret.* Sicuti quoque consummati & in saxeam duritiem molemque jam conversi frustra lacessuntur Omnibus Specificis atque panaceis, quocunque titulo, nomine aut pretio splendeant, ac nullâ, nisi quiete, exactissima diæta & lithotomiâ pacandi, compescendi, aut extrahendi sunt: ita parvuli, friabiles mollésve non omnem medelam respuunt, & interdum frustra usurpatis chymicis carisque exoticis *Solis plebeis vulgaribus domesticis* aut *officinalibus* cedunt, resolvuntur & exturbantur, vel sponte & solo naturæ ductu, citra spem aut possibilitatem Physicam. Nec ulli nisi calculosi, adeò tàm multitudini quàm varietati medicaminum inhiant eàque oblectantur ob longævitatem morbi dolorumque vel frequentem vel mirabilem recidivam & catastrophen, quibus coguntur subinde confugere ad ingrata & suspectâ, utut prius nulla quàm probatissima optimorum medicorum Remedia quæsiverint nullisque sumptibus pepercerint, si non in totum sanari, saltem cruciatibus suis igne & ferro dolorosioribus tantillùm levari cupidissimi; siquidem calculi doloribus laborantem qui vel semel vidit & non ejusdem misertus est, hominis naturam exuit, ac qui DEO gratias non egit, quod ipsum hactenus à tàm immani miseria immunem conservarit, nec oravit, ut & in posterum ab eâdem liberum manere dignetur, Christiani nomen non meretur. *Ill.* Dn. D. *Riedlin. Anno 1696. m. Octobr. lin* 19.

Theophrastus Paracelsus multos Calculosos præservâsse & curasse *Essentiâ* suâ *Secalinâ* s. *Aroph* legitur, quæ sic paratur. ℞. *Panis secalini* vel *triticei optimi*, quantum placet, affunde *spiritum vini* ad eminentiam trium digitorum, stent in digestione per aliquod dies, usque S. V. saturetur colore flavo ferè aureo; Effunde & affunde novum

 S. V.

S. V. procede sic ad omnimodam extractionem tincturæ, postea omne extractum infunde in phialam, & apposito alembico detrahe superfluiditatem S. V. remanebit in fundo liquor crassiusculus Quinta Essentia coloris aurei & boni odoris, verum Aroph, cujus ℥j. in vehiculo appropriato manè jejuno ventre ebibitur, & omissâ hesternâ cœnâ, nî frustrà sit cura, quæ duabus septimanis continuari debet. l. 2. c. 10 d. *virib. membr.* l. 4. *Archidoxor.* d. *Quint. Essent.* & *libr.* 6. d. *magister.* ac *Helmont. d. lithias.* c. 7. §. 14. ex cujus commendatione huic aroph jungi censuit *Semen Dauci*, quia laudetur prophylacticum à lithiasi, D. *Gnöphelius* E. N. C. D. 1. a. 4. & 5. O. 110. cùm ejusdem s. *Pastinacæ flavæ nostratis Sylvestris* odor fermentalis odorem saxatilem domet ac comprimat, & sub continuâ strictâ usurâ præservet, sicut aroph renes confortet, eorumque peregrinum acorem corrigat & extinguat. *Helmont d. lithias.* c. 1. §. 23. & D. *Charleton* ceu Divinùm Auxilium extollit *Cerevisiam tenuem*, cui Semen Dauci incoxerit, in quam præcavendo à tam indomiti hostis & hospitis impetu omnem spem collocent confidenter, quotquot calculus vel ejus metus occupat: Etenim, præterquam, quod leptomeræ cerevisiæ citra minimam calefactionem citantes & propellentes urinam granula Tartari è renum cavo clementer abstergant eôque disponibilem lapidescentiæ materiam sensim emungant, Seminis Dauci esse, domare violentiam Coagulatoris in Duelech atque ita venienti saburræ conciliabulum coeundi adimere. *Diatrib. d. lithias.* c. 3. & Dn. D. *Dethharding. in Contin. Parallelism.* ad E. N. C. D. 1. a. 4. & seqq. O. 110.

Arcendis renum calculis *aquam tepidam* vel *Jus gallinaceum* aut *vitulinum* ad quinque, sex Uncias immediatè ante cibum, aut manè & pomeridie moderatè calidè potare jussit D. *Platerus*, admirando juvamine. Nihil, *addit*, à Recrementis renes & vias urinales ita vacuat & temperat igneum eorum calorem, qui tepore extinguitur, ut plures calculi procreari nequeant. *Consil. Med.* 17. Namque uti in omni, ita in incolumi vita servanda à morbis pereximium aquarum usum esse, diffusa summorum in arte magistrorum experientia loquitur, quorum sententias & observata elegantissimo schediasmate complexus universalis medicamenti aquæ elogium haud pridem asseruit, Dn. D. *Frid. Hofm.* Medicus Regius & Regni Jatrici sapientissimus moderator. Si calor accedat, & ad interiora fibrarum blandâ vi propellat salutares latices, ecquid mirum, si morbos etiam pervicacissimos nonnunquam isthoc

unico

unico præſidio feliciſſimè videamus ſuperari? Quod de calculi & podagræ tormentis, quæ calentis & leviſſimè ſaccharatæ aquæ potu largiori ſorbitione mitigatos fuiſſe & ceſsâſſe, conteſtatur *illuſtris* Dn. D. *Thomaſius de Theâ Roſeâ*, E. N C. *Cent.* 3. & 4 O. 199. Temperantur quippe Salia, & lentus tartarus ſic elimatis viis deturbatur. D. *Pechlinus Th. Bibacul.* Succum *Betulæ* primâ ſub verè arboris gemmatione ab inciſione extillantem, fermentatum in doliolo, & ſingulis diebus, quamdiu conſervari poteſt, ad aliquot uncias epotum, utilem ad pellendos quosvis calculos laudat D. *Scholz.* D. 1. a. 3. O. 155. uſualem Tartaris, qui toto menſe Martio ſolum hunc liquorem bibere ſeque eodem ab omni morbo præmunire feruntur, Dn. D. *Berniz, Faſcicul. Medic. ſingul. tit.* 19. Cui æquiparatur & ſubſtituitur *cerevisia Hordeata* cum *candentibus ſilicibus* coćta: Valent quippe ſilices interno uſu ad incidendam tartaream mucilaginem & obſtrućtiones reſerandas, ac in Livonia & Ruſſia calculoſi rariſſimè inveniuntur, cùm per totas iſtas regiones cerevisiam cum ſilicibus decoquere conſueverint inquilini, *Illſtr.* Dn. D. *Lentilius in memorab. Curland.* Infuſo *Veronicæ* à calculo ſe liberavit fœmina, obſervatione D. *Elsneri*, quæ 16. annis calculum in rene ſiniſtro geſtaverat ob perpetuos inde cruciatus ad formam ſceleti conſumpta. D. 1. a. 1. O. 107. Quod decoćtum aliis generoſis prætulit D. *Crato à* Krafftheim / trium Cæſarum Archiater, in *Conſil.* 17. Præ cæteris frequenter pulvere uſum fuiſſe in Calculoſis, cujus maximam partem compleverint Veronicæ folia, D. *Müllerum*, & Veronicam adeò urinam ciere, ut virgo, quæ jam ſpatio bidui XV. florenos impunè contriverat, ſolius ejus decoćto cum dimidia drachma lapidum cancrinorum ab Iſchuria vindicata fuerit, aliquot exemplis indicavit Vir eruditione & ingenio quàm corpore major. Dn. D. *Francus in tract. d. Veronic. theezant Curat.* 10. 24. 36. &c. Hujus enim plantulæ incomparabilis ſubſtantia, & vires ejus cœleſtes ſunt. ob ſal ſuum volatile, quod craſſos & tartareos humores in ventriculo pulmonum bronchiis, hepate, liene, utero & veſica potenter incidit, digerit, abſumit, & balſamica ſua virtute viſcera hæc corroborat, præclaro multorum aliorum medicorum uſu & experientiâ. D. *Tiling. d. Experim. circ. Vegetabil.* & D. D. *Hannemann obſ. d. calid. potu herbb. Theæ Veronicæ & Betonicæ.* Quale quid etiam de Theâ Sinenſi operoſiſſimè laudat D. *Pechlinus*, quod planta ſit divinitus data, utut alieni & peregrini ac remotiſſimi orbis hoſpita, ſorbillando ſobrie pota, cui inſit aliquid peculiare, quod negatum

gatum ſit cæteris omnibus, licet Theæ virtutes perſimiles habeant, dummodo præſervet à podagra, calculo, ſcorbuto, aliisque diuturnis morbis, ac vitam omnem tueatur incolumem, maximè, ubi de rebus ſeriis decernendum ingenium acuat, omnesque ſpirituum functiones mirificè confortet, modò gulæ non indulgeatur, & majori cura ac moderatione bibatur, quàm hodiè Noſtri ſolent, qui vix penſi habent, quando & quomodo bibant? dum bibant. *Theoph. Bibac. &c.*

Fœmina non infimæ ſortis continuis per annos atrociſſimis lumborum doloribus afflicta varias pro more manus & artes ſuſtinuit incaſſum. His indies augmenta capeſſentibus ſuaſu amicæ *Aquam Chamomillæ* deſtillatam frequenter bibit, rata, pasſionibus hyſtericis ſe affligi. Nec infeliciter! Cùm per aliquot dierum decurſus prædictæ aquæ uſum continuaſſet afflictisſima, ex improviſo dolores modò ad dorſum, modò ad pubem vergentes lapillum unum alterumque expulere cum urinâ. Gaviſa ſic, certaque de ſuo morbo, repetiit aquam Chamomillæ haurire, & indies lapillos reddidit tantæ multitudinis, ut ſanitati reſtituta eorum ultra Centum numeraret. D. *Hagedorn.* E. N. C. D. 2. a. 1. O. 162. Arcanum anticalculoſum D. *Timæi* von Güldenklee hoc fuit: Calendis MaI ante Solis exortum collige *anſerinæ* herbæ viridis Mviij. & *ſecalis* viridis Miij. Contunde, exprime ſuccum, adde vini rubri ad pondus Omnium, miſce & filtra, exhibe quotannis primo ſecundo & tertio die Maij in aurora ℥vij purgato prius corpore. *Epiſtol. med.* l. 3. 32. Japonenſes de plantula *Muzuba* ſpecie graminis cum aquâ & ſaccharo coctâ ac colatâ contra lumbagines & calculos cum optato levamine bibunt. D. *Cleyerus Indiæ Orient. Medicus.* *Allium* probatisſimum à calculo præſervativum probat D. *Hoyerus.* Recipiuntur 3. 4. 5 particulæ allii, à corticibus exterioribus liberatæ & conſciſſæ, ac in ſpiritu vini vulgari ad digitum tranſverſum ſuperextante per 24. horas macerantur. Infuſum ipſo Novilunii momento totum ſemel ebibitur, & per integrum annum ſingulis noviluniis repetitur. E. N. C. D. 4. O. 55. & *Act. Erud. Lipſ. ann* 1712. *menſ. Aug.* p. m. 347.

Millepedes aſelli, viliſſima animalcula, quæ limoſus lapis occulit, inter Saxitritores penè ſummum gradum obtinent, & in promovenda urina ſingularis uſus ſunt. Turgent ſale volatili nitroſo ex alimento ſ. uligine, quæ colligitur ſubter lapides & intra rimas parietum, ex quô potenter incidunt, penetrant, aperiunt, reſolvunt mucum acidum viſcidum

dum, mucilaginemque sabuloso - tartaream, ubicunque hæreat, & quomodocunque illi præparentur ac propinentur. Datur eorum pulvis ad ℈iiij. in ℥v. juris Cicerum rubrorum ante aliquot horas prandii, admixtis ℈ij Spiritus Juniperi. D. *Ettmüller. Instit. Med.* A. 3. M. 3. S. 1. C. 2. & D. *Riverius in Praxi.* Vel ℞. *Mille ped. ppt.* ℈iiij. *Spirit. Vini* ℥ß. *Decoct. Cicer. Rubr.* ℥ix. Sumantur manè cum jejunio. D. *Hofmann, in Schröd. Comment.* l. 5. f. 4. *Class.* 4. §. 74. Vel, quod Medici Uratislavienses verè Illustres & Curiosi antidotum calculorum excellenter prædicant, ℞. *Asellor. ppt.* ℥ij. *Sanguin. birc. ppt. fruct. Cynosbat. Sem. Violar. purpur* ana ℥i. *Specier. lithontript. Aug.* ʒij m. f. pulv. cujus ʒij in *decocti* cujusdam *diuretici* ℥x cum *spiritus juniperini* ʒij unâ dosi acceptæ horâ utplurimum matutinâ quintâ in Calculoso squammulas viscidas amplas subrubras, tunicosas, crustosas & sabulosas cum copiosâ urinâ depulerunt. *Histor. morbor. Wratislav. Ann.* 1697.

Cinis cremati *leporis* ad ℈i. ℈ij. è tepido Vino sumptus, calculos pellit. Compositus ex eo pulvis expertissimus habitus fuit ab *Arnoldo* d. *Villa nova*, quem etiam dispensat D. *Bonetus* seq modo. ℞ *Cineris leporis* integri secundum artem in furno combusti partes X. *Herb. Saxifrag.* ℥v. *baccar. lauri* ʒiij. *Sem. Violar. fruct. bardan. folior. lappæ maj.* ana ʒj *folior. quercus* ℥ij. pulverif. subtil. serventur in usum, & pro dosi sumatur ʒj. in vino albo manè & jejunè. *Med. Septentr.* Illustrissimus Baro Nephriticus è renibus per uretheres vesicam & urethram calculos exire sensit; tandem grandior & durior in urethra ad præputium subsistens 4. hebdomadibus urinam repressit, quæ guttatim rimulâ effluxit, quia totum meatum angularis calculi figura non obstruxerat. Adhibebantur varia calculos comminuere credita, instrumenta chirurgica frangendo & extrahendo calculo applicabantur, laxabantur viæ fomentis & oleorum injectionibus. Frustra! Sectio post præputium subtus inter duo corpora nervosa & spongiosa, ut fieret, suasit Chirurgus, qui interea in libris suis Pacuvianis hoc reperiit consilium. *Vesica leporina unà cum urinâ in fictili clauso & arctè lutato incinerata omnem calculum frangit.* Hoc lectum & factum, imbuta turunda oleo amygdalarum dulcium, & aspersus illi prædictus Cinis, unà obstruens calculus eòdem tactus, qui mox in sabulum solutus cum urinâ foras prosiliit & expulsus fuit. D. *à Lebenwald.* E.N.C.D.2.a 3.O.168. Quin vilioris speciei inter insecta in hypocaustis paganorum non unas molestias ingrato & quandoque non fausto suo strepitu pariens animaculum

Grylli

Grylli, ſunt è foro medico non excludendi, cùm probatum ſit, ſi eorum aliquot abjectis, ut in cantharidibus, capitibus alis & pedibus, in *aqua Petroſelini* aut *Saxifragiæ* macerentur usque in mucilaginem lacteam, in Veſicæ Calculo ſingulare medicamentum eſſe, ita ut ad miraculum mox ſequatur urinæ fluxus, etiam Calculus integer vel Reſolutus D. *Hagedorn* D. 1. a. 9. & 10. O. 72. Similiter in præſervando calculo & ciendo lotio certiſſimè conducunt *Scarabæi* quicunque, imprimis *Cornuti* & *unctuoſi* ob alcali volatile, acre, cujus ratione tartarum ſalinum in Nephritide & Podagra copioſiſſimè evacuant, ſ. internè eorum pulvis aſſumatur, ſ. artificio chymico alia exinde remedia præparentur. D. *Ettmüller. in Colleg. Schröder. Pharmacent.* qui ibidem ex *Charletono* de *paſſere troglottide*, avicula omnium minimâ, & quæ præter vocem ferè nihil eſt, mirificis elogiis, virtutis calculifragæ recenſet, quod ſit *excellenter Præſervans*, *fortiter promovens* & *certò Expellens* è rene & veſica calculos, ſeu comedatur ſimpliciter aſſata, ſeu cum petroſelino, ſale baccisque juniperinis condita & cum infuſo ligni Nephritici decocta, ſeu in cinerem calcinata uſurpetur per aliquot ſeptimanas. &c. &c.

Qualiacunque autem hæc ſint, vel alia comperta aliis contra lithiaſin. Hoc neceſſum eſt moneri, Nunquam Fortiora Diuretica debere ſuaderi, quia mictum ſanguinis excitant, meatus urinales excoriant, anguſtis loculis calculos impingunt, convulſiones & epilepſias inducunt, impulſo non expulſo calculo. Temperatiora abſtergentia, reſolventia & urgentiora magis opportuna ſunt, quæ ſecundum D. *Hofmann. d. method. medend.* propriam poteſtatem habeant ſolvendi repagula calculi, quaquaverſus eant, ſubtilia & amica ſint naturæ, ne aliquid pervertant, non calida ſint, ſed media, ex acido & alcali volatili conſtantia, ut minus mordaci acredine ſordes urinarias incidant & repurgent, vel ſuavi fragrantiâ fraciditatem renalis fermenti inhibeant, occaſionemque calculis præcludant. Sive *clysmata* ſint, ſolum lenientia & emollientia, vel aperientibus diutureticis acuata, quæ tubis & glandulis apertis & laxatis facillimam calculis & arenis elabendi viam parant, paregorigo tepore renibus ac veſicæ vim excernendi impertiunt, tenſionem & convulſoriam afflictionem ſedant archeumque cum nervis mirè refocillant. Sive *ſemicupia* & *inſeſſus* in balneo actu calido, quibus viæ deoppilantur, dolores demulcentur ac melius promoventur calculi, minimùm dolores coguntur

ali-

aliquandiu commorari. Addi his possunt, quæ potentiali calore ulterius adjuvant, simul flatus discutiunt calculumque commovent. Sive *Decoctiones* aut *Emulsiones* humectantes ac mitigantes ardorem & acrimoniam, aut fractas è spinâ infixa vires confortantes, insimul resolventes & exturbantes. Sive alia oleosa balsamica archeum placantia, non vellicantia, non urgentia, potius obtundentia. Sive *fomenta unguenta, & cataplasmata*, vel cætera παρηγορήματα, tensionibus, spasmis, crispationibus, stimulisque sedandis, ac moderatæ diuresi accommoda, dum, si summus dolor & feritas calculi sæviant in luctuosum clientem, talia laboranti naturæ solatia obvertenda sunt, quæ sopiunt & roborant, ut non tendatur aut vellicetur membranosum genus ultra modum, & induciis concessis quiete fortius insurgat archeus, quin ita juvetur tolerare, ut possit hostem suum vincere. Uti enim à pellentibus maxima noxa infertur, ita à sedativis summa virtus expectatur. Dn. D. *Wedel. Amœn.* m. m. l. 1. s. 3. c. 9.

Solâ hac *Emulsione* duodecenni puero vesicæ calculum per frustula ad nigredinem vergentia excretum, ita ut cortex unus alteri superinductus videretur, D. *Winclerus* depuisse legitur, ℞. *Sem. Violar. purpur.* ℥ß. ▽. *fragar. Ononid. & Alkekeng.* ana. quant. suffic. pro Emulsione: add. *asellor.* ppt. ʒj. *sanguin. hirc.* ppt. ʒß. *Specier. lithontrip.* Aug. ℈j. *Spirit. terebinth* ℈ß. M. Dosis erant subinde 2. 3. cochlearia. E. N. C. D. 1. a. 6. & 7. O. 102. Vir Sexagenarius inani spe cùm varia deglutiisset, & ob grandem calculum sanguis multus è vesica fluxisset, Hoc *Amygdalato* usus loco cœnæ intra mensem calculum sensim dissolutum prodiisse, & arenas emollitas fuisse observavit. ℞. *Decocti Hordei* ℔ij. *Amygdal. dulc. excort.* ℥iß. f. Emulsio: addatur *panis triticei*, quantum placet. D. *Crüger.* D. 3. a. 7. & 8. O. 109. Qui ipse hic *Crügerus*, Archiater quondam Stargardiensis prægrandem calculum in dextro Rene cum hujus tumore & multâ molestiâ gestatum in atomos comminuit in se ipso, uti palam gloriatur in *Miscell.* N. C. sequentibus, (1.) molitore suo: ℞. *Baccar. alkekeng.* ℥ij. terantur in mortario sub affusione *vini Francici* & *aquæ fragorum* ana ℔j. tundantur arilli in minutum pulverem, exprimantur & adjiciantur *Rob. Cynosbati & syrupus fragorum* ana. ad ℥j. *Spiritus Salis* ʒß M. D. S. Stein-Tranck / cujus 4. l. 5. Unciæ bibantur mane & vesperi. (2.) Pulvere Specifico Borrichiano, ℞. *Lapidum lyncis & Judaici, Christall. fossil.* ppt. *Ocul* 69. ppt. ana. ʒj. Divid. in 4. part. æqual. qui intra biduum assumti fuerant

cum aqua Saxifragiæ, (3.) Jusculo medicato, ℞. *Herbb. Chærefol petroselin. anisi, passul. min.* ana. Mj. Coq. suff. quant. *aquæ font.* & in Colatura calidissima misceantur *duo vitella ovorum.* Sorpsit bis de die ℥viij & (4.) Potu ordinario. ℞. *Radic. pimpinell. bardan.* ana. ℥ij. *Herbb. Heder. terrestr. Hermar. Chærefol. betonic.* ana. Mj. *Cicer. Rubr.* ℥iij. *Sem. anis.* ℥ß. *Radic. liquirit. ras.* ʒvj. *baccar. juniper.* ℥iij. M. ppta Coq. in *aquæ font.* ℔vj. Colaturæ ℞. ℔iiij. de qua subinde ℥iv. ebibit. Comminuto sic & excreto calculo nec cruorem nec sabulum posthac minxit. D. 3. a. 7. & 8. O. 116. Et ejus Socrus, 60. annorum vidua, incidit in suppressionem totalem, comitantibus doloribus nephriticis acutissimis cum ejulatu. Dedit ipsi (1.) *Tartari Vitriolati* ʒj in jure, (2.) post bihorium sensim *Elixirii juniperini* ℥j. & *spiritus terebinthinæ* ʒß. (3.) *Succi Citri* recenter expressi ℥ij cum *vini rhenani* ℥vj. & *syrupi violacei* q. s. (4.) Vinum alkekengi, *baccar. alkakeng.* ℥ij. affund. paulatim ℔ij *Vini Rhenani*, & arilli terantur in pulverem ; Colaturæ add. *Rob Cynosbat.* ℥j. *Syrup. fragar.* ℥ij. *Salis calcinati*, q. s. & acorem, & (5.) aliud vinum medicamentosum, ℞. *Radic. pimpinell. bardan. petroselin.* ana ℥j. *folior. parietar. Chærefol. Veronic.* ana. Mj. *baccar. juniper.* ℥iß. *Cicer. Rubr.* ʒß. Coq. q. s. *Vini Francic.* Colatur. ℔ij. add. *Sacchar.* q. pl. De quibus singulis diebus aliquoties haustum fecit, binisque inde vicibus paucos intra dies 400. calculos excrevit. E N. C. D. 2. a. 4. O. 14.

Sexagenario calculum fregit D. *Binninger* musto herbis fermentato. ℞. *baccar. alkekeng.* M. 20. *Fruct. Chamæmespil. dumet.* M. 30. *Radic. liquirit. ras* ℥v. Concis. contus. includantur dolio, quod *musto* repletur, donec deferbuerit. Hujus singulis vindimiarum mensibus iterati usu continua matutino hærens circa collum vesicæ calculus in innumera fragmenta sensibiliter comminutus fuit. *Cent.* 4. O. 72. Excellit etiam Decoctum Nephrocatarcticum D. *Foresti*, Practici Belgæ, singulariter egregium. ℞. *seminum malvæ* & *altheæ* ana. ℥iij. *Cicer. Rubr.* ℥iij. *caricar. ping.* nro. 9. *Sebesten* nro. 8 *Sem.* 4. *frigid. maj.* ana. ʒij. *Hordei mundat.* ℥j. *rasur. Radic. liquiriti* ʒvj. Fiat decoctio in *aq. font.* vel *pluvial.* ℔vj. Colatura ad libitum bibatur. Quod à *Zwelffero* sic correctum extat in Pharmacop. Regia. ℞. *radic. liquirit.* ℥iß. *petroselini* & *fœnicul.* ana. ℥ij. *ireos florent.* ℥iß. *flor. malvæ utriusque* ana. ʒvj. *Sem.* 4. *frig. maj. excort.* ana ʒv. *fœniculi* & *saxifragiæ* ana. ʒvj. *Cicer. Rubr. confract.* ʒvj. *Sebesten* & *ficuum* ana. nro. 30. *Hordei mundat. lot.* ℥iij. Incis. contus. g. m. serventur pro usu. Quô decocto D. *Sennertus* virum à de-

à deſperatiſſimâ iſchuriâ à calculis renalibus curaſſe, protruſis lapillis cum impetu, legitur l. 3. *Prax.* & quô ceu remedio felici celebres practici utuntur, efficacius futuro, ſi juxta D. *Ettmüllerum* Semina *Dauci* & *Hyperici*, aut *baccæ Juniperi* adderentur; *Colleg. Practic.* Nulla enim magis convenire poſſunt affectibus renum & veſicæ cum, & ſine calculis, quàm aquea dulcia pinguia, & quibus aliquid Nitroſi ineſt, quod renali fermento affinius urinæ ſecretionem adjuvat: Quô caſu Decoctum hoc Foreſtianum omnibus numeris abſolutum plurimis hactenus feliciſſimè in uſum ceſſit. Reperiuntur quippe ibi *Aqua*, cæteræ virtutis vehiculum, quæ etiam mucoſum pelvis involucrum diluvio ſolvit, & materiam ſeri præbet: Tum *mucilaginoſa malvæ & altheæ ſemina*, *dulce Caricarum Sebeſten & glycirrhizæ* delinimentum, *hordeum* denique *& ciceres*, quæ cùm *nitroſâ & abſtergente* facultate conſtent, ſecretionem ſeri promovent & vires fermenti Renalis confirmant. D. *Pechlinus* l. 1. O. 16.

Novum ex America Calculi Remediam eſt radix *Parreira Brava*, alumna crudeliſſimæ Braſiliæ, quam Luſitani è ſolo Mexicano aſportarunt primum in Galliam, deinde in Germaniam; & quæ quoad patriam nomen, ortum, ſtructuram, characterem, genus, vires, uſum & doſin in peculiari eruditiſſimo Schediaſmate elegantiſſimè depicta & deſcripta in appendice primi Novarum Ephemeridum Naturæ-Curioſorum Tomi annexa nuper fuit ab Illuſtri Domino Directore, Dn. D. *Lochnero*. Specificum æſtimatur in Omnibus renum & veſicæ morbis, qui curam admittunt. Urinam mirificè evocat, arenas & excrementa pituitoſa, ac quicquid urinarios meatus obſtruit, pellit & expurgat, imò tàm blandè & leniter virtutem ſuam promit, ut nulla plane occaſio lithiaſeos ſe offerat, cui ſine ullo metu ac hæſitantiâ exhiberi non poſſit. Quicquid autem ceu optimum diureticum in leniendi calculi doloribus miniſtrat & præſtat, peragit *partim particulis* ſuis *Salinis* tam *volatilibus* quàm *fixis*, quæ glandulas & ſiphunculos renales, per quos urina ſecerni debet, materiâ tenaci infarctos & anguſtatos vi incidendi aperiunt, abſtergunt urinæque ſeparationem promovent; ſubinde fermentum renum fracidum acrimoniâ volatili urinosâ deſtitutum & planè iners diſponunt ad facilitandam copioſiorem ſecretionem, excretionem urinæ ſtimulant, & partes heterogeneas ſanguinis evehunt; ipſum quoque in renibus ac veſicâ ſtabulantem ſpiritum gorgonicum arenas & ſabulum cum mu-

co viſcido in lapidem compingentem deſtruunt geneſique calculorum obicem ponunt: *partim* etiam *particulis ſulphureis oleoſis balſamicis mollibus, dulcibus, reſinoſis & glutinoſis*, quibus ſalia acria tum ipſius calculi, tum urinæ involvuntur, criſpationes ac dolorifici meatuum ſpaſmi abiguntur, ut ad debitam amplitudinem viæ ante arctatæ redeant, imprimis, particulæ dulces molles & reſinoſæ immixtæ amaris aptæ ſunt ad ſalſedinem urinæ temperandam, & dulces cum ſulphureis combinatæ intimiori nexu ſimul abſtergunt lubricant inviſcant demulcent vicesque anodyni ſupplent.

Braſiliani & Luſitani hujus *Parreiræ Bravæ* contuſæ ℥j. cum *Salis armoniaci* ʒj. in menſura *aquæ* decoquunt, cum aliquoties ebullierit, ab igne removent, & ulteriori extractioni frigorique exponunt, ac de liquore filtrato ſingulis 4. horis hauſtum faciunt. D. *Helvet. dans la Traite des Maladies & des Remed. ſpecifiq.* Qui θερμοποσία delectantur, addunt illam Theæ Sinenſi, vel Acmellæ foliis, vel ſpeciebus decocti Nephritici D. *Foreſti*, & cùm calculus alvum ſtringat, adjiciunt Linum Catarcticum ſ. pumilum D. *Bauhini*, linum non novæ ſpeciei, ſed novi nominis, quod purgat ſine moleſtia. *Magnif.* Dn. D. *Camerarius Diſſert. d. Cervar. nigr. in Appendic.* & D. *Chabræus Icon Stirpium & plantar.* Etiam in ſubſtantia ſ. pulvere ſubtiliſſimo aſſumitur à ʒß ad ℈ij & ʒj cum xv granis Salis armoniaci omni quadrihorio, uſque æger levamen ſentiat. Additur quoque ipſi pro ſtimulo *Sal amarum catarcticum Ebshamenſe* ſ. Anglicum, de quo olim D. *Grewv* in peculiari tractatu, & noviſſimè Dn. D. *Lentilius* in O. 173. E. N. C. D. 4. ac Dn. D. *Wedelius Junior in Diſput. publica.* Sociantur felici ſucceſſu *millepedes*, ſed illo momento, quô natura ſe ſolvere geſtit à moleſtiis calculi, & incantamenti inſtar auxilium dolentes experiri cernitur. Junguntur tutiſſimè durantibus ſpaſmodicis tenſionibus *Cinnabarina* & *Nitrata.* Cætera ejus præparata, ſcil. *Balſamum* Parreiræ *Helvetii*, *Spiritus*, *Eſſentia* duplex *Tartariſata* volatilis & *compoſita*, *extractum* reſinoſum &c. quærantur in Schediaſmate.

Tandem ſit ex novis Exoticis in comminuendo calculo multum valentibus *Attmella Hacmella* ſ. *Bidens urticæ folio*, Lithontriptica Zeylanica, ſaltem in hortis celeberrimorum Botanicorum plantata, & pluribus ſuis notis characteriſticis ſignata à Dn. D. *Volkamero* in E. N. C. D. 3. a. 7. & 8. O. 210. ſive hæc cum radice modò memoratâ Mexicanâ infundatur, ſive ſola bibatur inſtar theæ, ſive è radicis caulibus

libus & ramis cum Spiritu Vini tinctura destilletur, sive alio modo usurpentur ejus folia & semina, prius in umbrâ siccata & in pulverem comminuta. Singula enim arenas & calculos terere, pellere, & exturbare absque ullo dolore laudantur. *Ibidem.* Modò hæc vel alia peregrina sanitatis subsidia odiosam censuram non incidant eorum vel medicorum vel ægrorum, qui glebis domibusque suis nati horrent nauseantque quævis Exotica, tanquam fraudibus adulterationibus vermiumque dentibus subjecta ac nimis magno pretio veneuntia, vel qui domestica & germanica taliter qualiter æstimantes Transmarina singula ac Nova quæque velut de cœlo lapsa extollunt, universæ membrorum familiæ velut Catholica destinant, & tamen, ubi fides ac eventus non semper aut satis respondet, eorum elogium in Crimen vertunt. Utrique merentur moneri, viâ media ut incedant, ne deflectant in errores excessu æquè ac defectu maximos. Fastidire & temnere illa ceu quisquilias spoliaque Indorum cariosa, effœta, rancida & corrupta, invidiosum est: Contrà eadem ceu rariora, ergô etiam certiora, rigorose seligere, prolixè comendare aut obtrudere, ambitiosum, & utrumque vel simplicitas, vel dementia. Amplissimum pharmacopolium cernitur in montibus, vallibus, sylvis, dumetis, pascuis, pratis, agris, campis, in terra & aqua, in hortis & vineis, in stabulis & fimetis, quid igitur quærendum apud Exteros ac anthropophagos? Boni & curiosi medici est, nihil intentatum relinquere, ac neque parciorem neque prodigum nimis esse in remediis Barbaris, eaque benè distinguere præ dubiis certa, & pro noxiis salubria. Ubivis ancillatur homini fidissima mater terra, & nullus ejus angulus, qui saluberrima subsidia non promat. Non omnia fert una tellus, ac per totum orbem dispensat DEUS singulari providentia & ubertate suam bonitatem, ut medicus omni occasione potiatur, vel domi prognatis vel peregrè allatis diversissimis valetudinis periculis subvenire. Communes siquidem patimur manes, utut vel vivendi rationes, vel temperamentorum varietates vel aliæ consuetudines aut necessitates peculialiter medicari jubeant. Quæ rationi non adversantur, toleranda, laudanda, imitanda. Nova tempora, novi mores, modò bona sint utraque. Sequendum, non quod frequentius fit, sed quod honestum est, non quod plures, sed pauci faciunt dextrè & gloriosè. In praxi medica ferè magis observationibus, quàm rationibus innitendum, quæ per ἐμπειρίαν certius ac ex hypothesibus firmatur.

matur. Nondum tentata laudari non possunt ; Nunquam otiosa est novitatis avida humana mentium Variabilitas uti ciborum, ita & medicamentorum, fragilitatis arcendæ gratiâ novas species semper esuriens, nunc specificas, nunc genericas. Absit tamen, ut plus exerceatur medicamentorum mercatura, quàm Artis salubris usura. Nobilitet remedium fructuosa experientia, non peregrina terra vel fictæ solùm panaceæ titulus. Nullum est, cui tota morborum cohors auscultat, ergo passim acquirenda, quæ ubivis in mundo concessit Conditor TER Optimus Maximus. In singulis usus laudem, & crimen abusus habet. D. *Pechlinus Theophil. Bibac.* D. *Paulini Obs. Phys. med. Dec. 2. O. 4.* D. *Valentin. d. polychrest. Exotic.* D. d *Leibniz. d. nov. antidysenter. American.* & D. *Reich. de medicina universali. &c. &c.*

Taceantur omnia, in specie, quæ ab impostoribus agyrtis aut malis hominibus extra ordinem & legem medicam communicantur & exercentur impiis artibus, sceleratis fraudibus atque superstitionibus, sive phantasia & confidentia in vanissima remediola medeatur, sive causa medico-physica accidentalis connexa anilitatibus cooperetur, sive aliud quid adhibeatur, quod virtutem naturalem magicam vel diabolicam in recessu fovere creditur, in quibus singulis nec rationem nec veritatem nec certum operandi modum scrutari licet, nec arguere genuinam agendi causam. Nullum superstitio modum novit, ubi semel incepit, nec subsistit, sed ut cœpit, rationis quam ignorat, pariter & sui, aliis molesta, sibi gravis, limites excedit. Hinc qui ejus amantes sunt eique pertinaciter inhærent, omnia quæ præter ordinem fieri putant, miracula habent mysteria occultas & divinas artes. Quæcunque autem admiranda maximi facienda sunt, non statim miraculi speciem aut nomen commerentur, quibus tamen præstigiis & fallaciis argutissimis Μυεολεχνήης gentes haud adeò simplices ita potenter fascinat, ut nullo argumento vel consilio, sed simplicitate & crudelitate regi velint. Etenim non tâm ipsismet hominibus dæmon has vires attribuit, quam ipse sic permittente DEO agit, quæ posteà fieri ab hominibus creduntur : nec refert tamen, bonis & piis, qui has imposturas agnoscunt, aliquando evenire, ut remedio superstitioso insciis adhibito liberentur à morbis. Velut quippe DEI indultu Dæmon Impostor malorum desideria explet in pœnam malitiæ & protervæ credulitatis: Sic bonis evenire eadem permittit, ut exploret eorum fidem, ac improbi spiritus conatus

fallat,

fallat. Hos tentat, ut fallat, illos decipit, ut irretiat, nec enim nisi quem deceperit ante capit dæmon, idque agit, non ut homines potentiores faciat, sed credulitate eos implicet sibique arctius obstringat socios impietatis & excidii æterni. D. *Zentgraff. Dissertat. d. Superstit. & superstitios. Remed.* Omnes igitur ejusmodi artes nugatoriæ ac noxiæ superstitionis ex pestifera hominum & dæmonum societate, infidelis & dolosæ amicitiæ pacta constitutæ Christiano penitus sunt repudiandæ *Augustin. d. Doctrin. Christian.* c. 19. 20 & 23.

Rusticum & ridiculum, tamen inter non vilioris sortis homines contra stranguriam s. tenesmum urinalem non frustra tentatum experimentum est ex Praxi medicâ D. *Grülingii*, l. 4. p. 2. c. 7. Knüpffe nur in das Hembd einen Knopff unten an der lincken Seiten / alsobald vergehet es. Adeò vulgi præcepta non semper deliramenta sunt, nec omnino spernenda, quamvis multoties decipiant, & sæpius solum ex Accidenti, nec omnibus nec eodem tempore nec eodem modo juvare soleant. Succedunt plerumque irritis Officinalibus & Magistralibus apud ægros vel pauperes vel impatientes vel avaros vel curiosulos vel nasutos & in narratiunculas vetularum leviter credulos, qui planè non à medicis, aut levissimo sumptu, aut unâ die sanari cupiunt, vel non obsequente arti aut voluntati medicorum valetudine medicinæ tenuitatem prætexunt, Es seyen an der Kranckheit die Doctores mit aller ihrer Kunst erlegen / und habe hernach ein geringes Bauren-Mittelein gleich geholffen / darum seye es öffters gut / oder besser / man lauffe nicht so geschwind zu Doctorn / es können zuweilen Arme und Einfältige auch einen guten Rath geben. &c. &c. quæ invidiosa rudis & scandalosa culpatio non solos illos practicos tangit, qui tantummodò egestate pressis & infimæ conditionis ægrotantibus medendo vitam & famam ingratiis consecrant, sed eos quoque, qui magnæ gratiæ & existimationis VIRI Doctores, Principibus aliisque divitibus dudum probati fuere. Quippe medicus, qualiscunque vel quantus quantus sit, si quis alius, exponitur omnium judicio, quot capita, tot sententiæ & calumniæ audiuntur, potissimùm, quod non absolutè & semper desideratum finem obtinere possit, nec omne cedat ex voto s. ipsius, s. ægrotantis, s. adstantium, s. etiam aliorum, quorum cæteroquin res non agitur, aliena tamen promptissimè & intempestivâ æmulatione censentium. *Illustris* Dn. D. *Wedel. Exercitat. medic. Philolog.* S. & P. 6. *Dec.* 3. Stulti sunt, qui à medico desiderant citam

tam opem, à miniſtro, refrangante Domino, à quô auxilium exorandum & expectandum eſt, non impetu, non impatienti animo, non cavillationibus in artem & medicum, qui eo minus feliciter, jucunde, & citò curat, quò magis contra ſtimulum æger calcitrat. *Idem. Dec. 9. Exerc. 5.* περιδέχεσθαι χρή. Oportet expectare, *Hipp. ſect. 3. aphor. 4. 5. 6 7.* Pronuper calculoſus ob dolorificum urinæ ſtillicidium æſtumque intra Nycthemeron ferè mille nodos in induſio texuit, ob inanem effectum fortiter iracundus in remediolum & Medicum. Verùm non indignatione, nec frontis ſeveritate nec mentis fervore, ſed patientiâ, quiete & abſtinentiâ deliniebatur dolor. Cùm duo faciunt idem, non eſt Idem. Quoties & quàm bellè olim in curam & ſolatium hæc nodulorum textura Dn. D. *Rommelio*, creberrimè & acerrimè Stranguriοſo ceſſerit, legatur in obſerv. 178. E. N. C. D. 2. a. 8. d. *Evporiſt. contr. Strangur.* ubi hanc remedii epicriſin, adjecit: *Difficile eſt, hujus curæ cauſam inveſtigare. Quid enim nodo induſii cum fermento acri, particulis acidis ſalinis tartareis, affectum hunc utplurimum producentibus communicatio aut remedendi poteſtas? Non video, quomodo hæc ſpicula vellicantia ac ſtimulantia ardorem dolorem & ſubſtillum lotii cauſantia, vel ab induſio, vel facto in eodem nodo correctionem, mutationem, alterationem, multò minus evacuationem pati, vel temperari aut aboleri poſſint? Si effectus non prorſus ſuperſtitioni adſcribendus, fortean Signatura aliquid præſtat, quia nonnullis Stranguria, Urina ſtrangulans vocatur, & virga ob ardorem & dolorem quaſi ſtrangulatur, nodusque induſii ſtrangulationem aliquô modô repræſentat. &c. &c.*

Vir nobilis, ut mictionem promoveret, aliud ſibi communicatum conſilium multoties pro voto expertus eſt. Nempe mingere volens & non valens Numeros recitavit, ab uno & primo recto ordine ad decimum aut duodecimum, quô facto, priusquam denarium vel ſuperiorem numerum numerando attingebat, urina ſine moleſtia fluxit totaque mictio promptè proceſſit, quod ſi non faciebat, conſuetam moleſtiam ſentire cogebatur. Id an *conſuetudini* aut *ſuperſtitioni* debeatur? an utrique? perinde erit Dn. D. *Rommel.* D. 2. a. 10. O. 195. Triennis puellus toto die non niſi ſub precationem ad menſam mingere debebat, licet increpatus & ferula cæſus. Si hoc daretur *Recordationi? Illuſtr.* Dn. D. *Lentilius Parallelisſm.* Obſ. 134. Dec. 1. Ann. 1. E. N. C. & Filia, quantum ſtimularetur ad urinam, mingere non potuit, niſi prius in ejus conſpectu minxerit Ancilla,

quo

quo urinæ ad Nymphas allidentis ſtrepitu, vel cùm ore Sibilum faceret, prout fit micturientibus infantibus, urina effluxit, *Idem.* Sic varia & paradoxa quotidie objicit Experientia, quæ ſi ad rationis trutinam exigantur, inania, fabuloſa, & falſa videntur, ſenſuum tamen teſtimonio veriſſima ſunt. *D. Pechlinus.* l. 2. O. 61.

Qui in *mea lithotoca* non calculos, ſed dæmonem ejusque incantamenta aggredi & evertere laberarunt, ſuaſerunt charačteri ſatanico adverſa magicisque morbis ſpecificè ſolennia. Nunquam deſinit corpus eſſe ſubjectum medicinæ, etiamſi quomodocunque læſum aut à ſtatu naturali deſtructum fuerit. Et ea artis ſublimitas eſt, ut in morbis ſatanicis non parum poſſit remediis naturalibus ſolis, modò audacter contra eat medicus, & jure ſuo utatur, ἄρχων τῶν σωμάτων, Imperator corporum, quod nullum habet, niſi Conceſſu Divino & per mera ludibria, in homines Cacodæmon. Imò ideò creata eſt medicina ut ſuperſtitio deviletur, & medicus pro illa & DEus ſolus eſt, etiamſi orcus moveatur. *Paracelſ. l. d. morb. ex incantat.* Quippe præter preces & ſpiritualia incantationes mitigant, pellunt, tolluntque, quæ principia vitalia tutantur, malignitati reſiſtunt, partes & ſpiritus roborant, & ſatanicam nequitiam illudunt, ſolo plerumque ſuo fœtore ægris & Clinicis ingrata *D. Gokel. Gallicin. M. P. Cent. 2. Conſ. 49.* Quando tantum ſuſpicio de incantamentis medicùm ſuſpenſum tenet, utplurimum experimenti causâ *Balſamus contra Faſcina Pforzheimenſis*, vel *balſamus magicus D. Göleri* à Rabenſtein *ſ. oleum hyperici compoſitum* præſcribitur, uterque pharmacum polychreſtum & ex *bezoardicis, nervinis, reſolventibus, ſedativis, ſpecificis* & *vulgaribus* concinnatum, quod dudum inter plebem hæc ſolum encomia fert, ut antidotum ſit Diaboli & faſcinantium ſuorum Collegarum, apud medicos verò, ut calculos pellat, vermes occidat, hæmoptöen curet, ac doloribus colicis & arthriticis medeatur internè & externè *D. Jüngken in Concord. Pharm. Comp. Diſcord.* ſ. 3. c. 4. & 19. Illinitur arteriis, quotquot tangi poſſunt, ad tempora, latera colli, in carpis manuum & malleolis pedum internis, undique binis, etiam ſpinæ dorſali & articulis, pro irrigando humido radicali, roborando calore primigenio & vigore ſpirituum præmuniendo, recuperando, ſervando, mutuo inter hæc conſenſu eodemque influxu, quibus in corpora derivantur imprecationes & præſtigiæ, vel per appropriata iterum depellitur, quantum extra ordinem morbificæ culpæ concurſus & malefi-

cæ causæ induxit dæmon princeps fascinorum. Apud Sinenses uncta fuisset hæc mulier *Duodecim* locis, quibus illi distinctis pulsibus & certâ notitia explorare solent qualitates totius corporis elementares, constitutionem sanguinis & spirituum duodecim, ut vocant, viarum f. Sex vitæ fontium in Superiori, & totidem in inferiori ventre, circa intestina & membra origines, per quas morborum & sanitatis vitæ & mortis mensuratio fieri possit, juxta Clavem medicam ad Chinarum Doctrinam de pulsibus *Michaëlis Boymii* S. J. in appendic. *D. 2. a. 4.*

Suffimigia ex *asa fœtida, cornubus animalium, herbis gummatibus & resinis*, vel aliis à præstigiatorum vestibus surreptis frustulis, in atomos per ignem redacto Sale oleoso volatili, affectis partibus potenter succurrunt dissipando, alterando & demulcendo spiritusque malos arcendo. Ex fascino tumorem pedis dolorem & ambulandi impotentiam matrona ignobilis sanavit in continenti suffimento ex abscissa pallijparticulâ REI, quem novit. Filia figuli incantata repentinum periodicum dolorem dorsi ac cordis anxium tremorem nulli pharmaco cedentem abegit illicò suffitu frusti tunicæ incusatæ incantatricis. Miles suffivit laciniis chirothecarum à præstigiatore dextram manum fascino incurvatam, Exemptò restitutus. *D. Hünerwolff.* E. N. C. D. 2. a. 7. O. 91.

Emplastrum fœtidum *Mynsichti*, ℞. *asæ fœtidæ* ℥iij *Granorum herbæ antirrhin.* nro 7. *folior Quercin.* nro 3. *Corallior. rubr. pulverís. magnetis* ana ℥iß. misc. c. *Oleo Hypericonis* q. S. &c. Super centrum dolorosæ partis positum stupendo non duntaxat ipsum maleficium, sed etiam omnia phantasmata & incantationes sine superstitione confestim fugare laudatur ab authore in *armament.* M. P. Si simul sequens decoctum mane & vesperi bibatur: ℞. *Herb antirrhin.* c. semin *Hypericon. Pyrolæ*, ana quantum placet; Coq. in vino vel cerevisiâ ad tertias. Vel unguentum *Carrichteri* è pulvere *visci Corylini* cum *axungiis canis ursi & caponis.* Vel linimentum simplex ex *Homerda* cum *oleo lini aut Castorei*, quô ventres cum pube inungantur, subinde miraculoso effectu contra Satanicas ægritudines. Puer rusticus ab incunabulis sanus repentè humi prostratus horridis convulsionibus contortus & veneficio tactus creditus fuit, etiam à medico, cùm ab aviâ obstetrice eum in Nomine Spiritus Infernalis, *Horridum factum*! baptizatum audivisset, ipseque filiolus cùm angeretur, magnum æthiopem mortem ipsi minantem

nantem vidiſſet, & ex adſtantibus nemo: Oppidò liberabatur ab anxioſo ſuo morbo, poſtquam propria alvi excrementa aceto ſoluta bibiſſet, & fumum è foliis Hyoſcyami graveolentibus nudus excepiſſet. excuſſo à cœna dapali tartari præſagâ, non ſine precibus & juvante DEO, inſolenti cacodæmone ſub ſpecie muſcæ grandioris verſicoloris ἄνω rejectæ. *D. Hünerwolf.* E. N. C. D. 2. a. 9 O. 105. Veriſſimè hinc *D. Paullini* in ſeiner neuen Dreck Apotheke: Dem Teufel dem Βεελζεβὺλ, dem Dreckenherren iſt nichts mehr zu wieder / als Menſchen-dreck. Sit verbo Venia. Man kan ihn auch nicht ärger quälen / als wann man dergleichen auff die von ihme und ſeinen lieben Getreuen erregte Schäden leget / oder nur den Koth im Rauch auffhänget / oder auff andere Arten gebrauchet. Solches ſihet man an denen / die das Vieh behexen / daß ſie an Statt der Milch Blut oder nur Waſſer geben / ſo man in eine ſolche neu-gemolckene Blutige oder Wäſſerige Milch hofieret / ſ. h. und ſetzets zum Feuer / ſo kriegt die Hexe Augenweh / es wird ihr Angſt und Bang / ſie weißt nirgend zu bleiben / und iſt ihr alles im Munde wie lauter Menſchen-Koth. &c. Cap. 20. *D agricola in chirurg. parv. de γαλακτοκλεψία* ſ. magicâ lactis ſuffuratione, & *M. Reiskius* d. *Corn. Hammon.* c. 7. Quippe in homerda principium magnetis microcoſmici ſ. mumiæ animalis & ſpiritualis latet, & in ea arcana ratio curandi morbos è veneficiis. Hic quoque magnes crematus aut ſimpliciter prunis injectus, vel vino aduſto & pipere adſperſus nates depoſitoris incivilis tantis cruciatibus lancinat, quos vix prunæ ipſæ admotæ inuſiſſent. *D. Hofmann. clav. pharm. Schröder* l. 5. ſ. 1. §. 23. &c. &c.

Si quid ſuperaddere vacat hiſce aliisque *Externis*, calculi therapiam curioſam & veram, vel apparenter talem & empiricam ſpectantibus, ſit famoſum pronuper publicis & magnis encomiis factum illud *Cingulum anticalculoſum*, de cujus prætensâ lithiaſeos miraculosâ curatione ac prophylaxi ſequentia extrahi è Diplomate, & comendari Lectoribus merentur. Scilicet! Kund und zu wiſſen ſeye jedermänniglich / ſonderheitlich denen es nöthig / daß mir / H. R. einen verſuchten Feldſcherer / nebſt anderen Wiſſenſchafften ein fürtreffliches und zwar nur äußerliches Mittel wiſſend iſt wieder den ſchmertzhafftē Zuſtand des Sandes oder Steines / in ſpecie, wann ſolcher in Nieren ſich auffhält / allwo er nicht allein davon außgetrieben / ſondern benebens ſo viel gewürcket wird / daß Lebens-lang davon kein Stein mehr anſetzen oder groß werden kan. Diß arcanum beſtehet in einer Gürtel / in welche ein zu gewiſſer Zeit geſchnitten auß-

ländisches Holtz venehet ist. Nachdem man solche um den bloßen Leib auff die Nieren anleget / wird in gar wenig Stunden gleich eine merckliche Linderung empfunden. Man muß aber wenigstens 6. Monath ohne solche hinweg zuthun / die Gürtel continuieren. Hievon werden viele grosse Hoch-Adeliche und andere Standes-Persohnen / denen es auff ihr Ansuchen / communicieret worden / glaubwürdig Bezeugen / daß durch göttliche Gnade ihnen damit wieder dergleichen schmertzhafften Zustand geholffen worden / daran sie viel und lange Jahr sich leyden müssen. Dahero hat man nicht um hin gekönnt solches von dem Allerhöchsten wunderbarlich zugeschickte Mittel zu des Gemeinen besten Nutzen und Trost an den offentlichen Tag kommen zu lassen / damit so jemand dessen bedürfftig / derselbe sich bey mir zu A anzu melden belieben könne: Deme auch die Versicherung gethan wird / daß / so schon jemand am Stein Sand oder Grieß zur Zeit noch nichts verspühret / doch dessen beförchtet / dieses arcanum, so lange man nur die Gürtel den Nierē auffgebundē träget / so lange man lebet / zu abwendung dieses schmertzlichen Ubels ebenfalls ein allgewisses Præservativum, dessen nächstens pretium aber sechs Reichs-Thaler seye. &c. &c.

Credat hæc & experiri sustineat in se, qui agyrtis plenius confidit, quàm medicis, qui sæpe numero expertissimis suis *internis* contra calculum parum aut ferè nihil operari possunt, nedum tam apertis fabulis fallere nummos, & periclitari valetudinem ægrotantium suorum cupiunt. Inter præservantia positiva insignes laudes assignat *Helmontius* Periaptis s. *amuletis*, cùm vim propriam & planè specificam possideant præpediendi & enecandi appropriationem mumialem archei, imprimis, si cooperetur confidentia patientis, quippe medium animositatis naturale pugnax ac valdè resistens morbo. *Tumul. Pest.* Fatetur tamen ipse, fieri id, *Naturâ omne id reliquum*, quod explicari non possit, *Satagente. Ignot. hosp. morb.* §. 94. Quæ energia Naturalis ipsi nuncupatur *actio Radialis s. Blas peculiare*, quô amuleta sibi parere objecta cogunt instar cœlorum citra omnem sui passionem aut debilitationem. *Ignot. act. regim.* §. 19. Quinimò à solidissimis etiam corporibus hoc modo & fine appensis aliquid, quamvis tenuissimum, exhalare, quod sanguinis & spirituum motum incitare aut mutare potens sit, asserit *Dü Hamel d. Corpor. affect.* l. 2. c. 5. §. 7. An verò contextum quoque calculi resolvere? altum silet. Frustra enim ac inani conatu sic fugari tentatur aut animatur archeus ad excutiendum calculum, ut ut appensorum penetrantia ad cœla usque laudetur.

D. Ledel.

D. Ledel. d. Curiof. verè curiof. abfit etiam in hoc medendi genere *Superftitio*, quæ animam magis lædit, quàm corpus juvat. *D. Riedlin.* L. M. anno 1700. O. 12. *menf. mart.* Utpote minus fecurus eft, qui hujusmodi Rebus certam fidem adhibet; imò fub magiæ naturalis nomine Dæmon quafi pactum vendicat & figillat apud illos, qui nimiâ propenfione decipi fe patiuntur. *D. Schelhamm d. Natur.* p. 1 c. 6. Nihil etenim animas hominum ita facilè fafcinat, uti admiratio, fiquidem, quæcunque admiramur, velut ex divina Virtute profecta, maximi facimus, jactamus & extollimus. Nec vulgus citius fallitur ab Impoftoribus, quàm fi talia patrent, quæ miraculi fpeciem habent: Sed & hæc vulgi natura eft, ut plerumque id optimum & falutiferum judicet, quod non intelligit. *D. Camerar. Oper. Succifiv.* Plurimum infuper iis placeret & faveret fuperficiaria hæc Ludi therapia, qui interna quævis naufeant, & folum ab EXTRA levari à fuis morbis petunt, in quorum gratiam compilare videtur quoddam Syftema Chirurgicum Anglicus ille Chirurgus, *Kennedy*, infcriptum *An Effaii on Enternal Remedies*, &c. In quò, utut fatis frivolè evincere conatur, *Omnes morbos externis remediis fanari poffe neque neceffarium effe, ut ore medicamina deglutiantur, quæ devorata aut epota plus fæpe obfint, quàm profint, raroque refpondeant votis medicorum.* Nov. Select. 1716. nro XXIV. Quæfo autem, mi Domine *Kennedy*! Quantum mentiris? Ne futor ultra Crepidam. Decorum eft, unumquemque manere in fuo Ordine. Sagacioris & Senioris Medici munus & labor eft, de caufis morborum, de arte medendi, de fpecificis & arcanis fyftemata confcribere, non Chirurgi, inprimis junioris, qui in Re medica totus Taceat, nec, donec adoleverit in annos maturiores fuæ ætatis & fcientiæ, prius audeat confultare de morbis, eorumquè caufas figna ac curandi Rationes, unà heterodoxâ omninò methodo, recenfere, explicare, applicare, &c. &c.

Libertati cujuslibet jam relinquitur, judicare, utrum memorata fymptomata, figna & contingentia naturalibus, an præternaturalibus debeantur? Rarioribus obfervationibus medico-practicis fociari meruit Hiftoria & eò decentius commentatiunculæ labore benevolis quibusvis Lectoribus commendari, fortean gratior & utilior, fi cultro fons ipfe tantæ lapidicinæ erui & detegi oculis potuiffet, eôque ipfo multorum defiderio fatisfieri, qui gravioris morbi terminum ancipiti Prognofi mecum expectarunt hactenus. Sed vereor, modô moriatur ex calculorum fuorum doloribus ac periculis, vel,

quæ ipsi certissimè finem vitæ faciet, Tabe, consueta me medicis super Rariora & præpostera singularium morborum phænomena curiosis fata experturum, & à Rustico marito uxoris aperturam, nisi intercedat authoritas superiorum, omninò non impetraturum esse, communi & malesano vulgi civiumque more, quorum hæc Recusationis ratio est, habe der Doctor dem Krancken bey Lebzeiten nicht helffen können/ so wolle man denselben ihme oder andern zu lieb nach dem Tod auch nicht erst plagen oder so zermadern lassen/ er seye jetzo schon Tod / sie lassen es nicht zu/ andere mögen auch sehen / wie ihnen geholffen werde. &c. Cum tamen causarum morbificarum demonstrationes Sectionibus eò minus fallant, facilius innotescant, & Medicinæ practicæ exoptatissima commoda afferant, maximè illæ, quæ occultæ medicos in conjecturas ducunt, ægrumque sine ope interimunt. Impia hæc pietas consanguineorum est erga mortuos, & tantum abest, ut fructuosum tale opus inter parricidia numeretur, potius impingitur vehementer in Christianam charitatem, aperturas cadaverum vel non concedere, vel pro Ratione circumstantiarum non imperare. Quid multis? Si homines reflecterent, medicum non animi gratiâ, sed ut ægris prosit, sectiones has desiderare, non adeò sese opponerent. Quid enim in hac aperturâ ex tetro fœtore vel miasmate etiam contracto deliciarum? quæ non potius molestiæ? Nec in omnibus morbis sine discrimine requirit Practicus aperire, sed tantum in Casibus valde dubiis rationem & experientiam medicam illudentibus, aut ubi quid commissi erroris ab adstantibus suspicatur. *DD. Lentilius in Schol. ad obs.* 151. D. 2. a. 2. E. N. C. Quod certè, si ullibi, in *Calculo* demortuis eò magis necessarium esset, quò plus obscuris manifestissimorum lithiaseos dolorum signis torquet, & peritissimos medentes per longos quandoque annos in diagnosi & therapiâ turpissimè decipit, ipsos unà patientes pretiosâ & invitâ morte libitinæ tradit, ex quo damnosa calamitas pleno agmine in medicum irruit, qui tum vel ignorantiæ vel negligentiæ redarguitur ab agnatis & à vulgo, cujus judiciis & calumniis toto die expositus est.

Uxor Senex, cùm per spatium viginti annorum præurgente continuâ Dysuria somnum vix ad unius horæ dimidium in unam vicem protrahere potuerat, unà cum aliis comitantibus diris symptomatibus in statum plenè tabidum attrita lectoque præ virium languore perpetuò affixa fuit, non obstante optimorum medicorum frequenter

ter

ter habito Consilio, qui inclinabant ad curam phthyseos pulmonalis ac febris hecticæ magis, quam de calculo cogitabant, vel orto ex illo Renum ulcere, cujus indicium dabatur ex urinâ post mictionem lactescente, & sedimentum deponente valde copiosum, impurum, fœtidum & purulentum, semper cùm dolorosissima dysuria Paulò ante fatalem diem, obnixè rogavit medicum, ut cadaver ejus post mortem cultro subjiceretur, quò in usum superstitum medendi arti mortua inserviret, quæ dum viverat, nihil opis illi præstiterat. Sectionis hæc fuere phænomena: Faciei artuumque formidabilis macies, membranæ abdominis, uti in calculosis cerni solet, adiposa pinguedo & crassities, parenchyma sinistri Renis instar favi calculis Refertum atque nullibi exulceratum, Ren contra dexter calculis & seroso pure mirè oppletus, sicuti etiam vesica à pure plenè corrupta & consumpta: Emulgentes quoque venæ ex insigni calculosâ sanguinis diathesi, quasi lapidei canales intus planè calculosâ crustâ obductæ; Vesica fellea calculis plena, & pulmones cum tuberculis crudis tum cretaceis calculis ubique ferè obsessi, chronicæ dysuriæ & tabis, quibus adeò molestè laborabat satis indè patulâ ætiologiâ. D. *Morton. Phthysiol.* l. 3. c. 14.

Sperlingius Professor Philosophus diu sabulum & sanguinem minxit, subinde urinâ in totum suppressâ, ut jocatus fuerit, se Sperlingium verè morem & naturam *Passeris* induisse, cùm sæpè bibat & nunquam mingat. Obiit convulsionibus. Renes mirum quantum distenti calculisque tri- quadri- & quinqueangularibus asperis lævibus ℥j. ℥ij ℥iij. ℥ß. ponderantibus, oppleti; Urethere quoque innumeris minoribus exactè teretibus pertinacissimè obstructi. Reliqua viscera omninò non vitiata. *D. Major Histor anatom. Calcul. in Renib. Sperling. Repert. D. Schneider libr. d. Catarrh. D. Bonet. Sepulchr. Abbas* Ischuriâ defunctus ne guttam in vesica retinuit. In sinistro rene lapis Ovum gallinaceum magnus, cujus altera extremitas magnitudine digiti auricularis ingressa in totum urinæ descensum è Rene prohibuit. Tota quoque Renum Substantia lapillis plena. Et in *alius* viri Vesicâ lapis Rotundus albicans durissimus ℥xviij. 36. Loth schwer; Et in *alius* eodem loco Calculus ℥xxxij. 64. Loth schwer siliceus inventus est, ex quo ignis excutiebatur chalybe. *D. Lusitan. Zacut. Prax. admirab.*

Vidua lumbis intensè doluit, vomuit, non minxit, & hectica stupida comatosa convulsa expiravit. Sinister ren extra tumidus & lividus, in-

tra

tra aqua & tribus calculis obſtipatus, quorum maximus pollicis majorem articulum æquans ſuo apice uretheris principium ita obturavit, ut omnis urina præcluderetur. Hinc Veſica vacua, cùm etiam oppoſiti Renis urether calculo lato & plano inſtar operculi occluſus fuerat. *D. Tulp. Spicileg. d. Calcul. Juvenis* ſtranguria & tabe de mortuus eſt. In veſica Calculus ℥iiij. Ipſa veſica præter naturam craſſior, & dextri uretheris ſubſtantia adeò denſa, ut cum aörta è corde Emergente comparari potuerit, tantæ ſimul amplitudinis, ut carnoſiorem pollicem absque violentia aut extenſione facilè receperit. Ren dexter ſpithamâ longus ſero plenus ejusque tubuli ampliſſimi. Dicti craſſioris uretheris orificium in veſicam terminatum arctiſſimum, ut illius in hanc ingreſſus nec oculis patuerit, nec aditum ſtylo conceſſerit, & ſuper quod calculus XV. granorum ex utraque ſui parte quà Renem & veſicam ſpectans, acuminatus hæſit, non delabi potens in Veſicam. *Illuſtr. D. D. Schrœckius.* E. N. C. D. 2. a. 2. O. 13. *Vir Nobiliſſimus* ſalvis viſceribus in fundo veſicæ calculum inſigniter durum pendens ℥iijß. monſtravit. Renes in locis naturâ ordinariis non poſiti. Dexter, quæ ſitu ſuo circa tertiam lumbarem vertebram ſub hepate jacere ſolet, planè pertransverſum ipſi ſpinæ lumborum & propè primam eorum vertebram incubuit, ac ſiniſter ſuperior dextro circa Regionem lienis conſpiciendus longè inferius viſus fuit, illiusque cavitas topho tartareo-calculoſo repleta, hujus parenchyma maculis lividis nigris conſpe[illegible]ſum, inflammationi gangrænoſæ proximum. *D. Scharfius.* D. 2. a. 10. O. 21. Et *Chirurgus*, pluribus annis conflictatus calculis & victus iisdem oſtendit in Cyſtide fellea novem lapides totam capſam obſidentes leviſſimos colore & odore felleos. In urethere ſiniſtro mox ſub pelvi calculum magnitudine amygdalæ, & in veſicâ magnum rufum ſiliceum, ℥ x. & ʒj. *D. Hagedorn.* D. 1. a. 2. O. 243.

Veſicam inſtar chartæ pergamenæ ſiccam & ſtrepitoſam, *anonymus* in E. N. C. Veſicam nullam, nec ejus loco aliud ſubſtitutum organum *D. Binninger.* Calculum in veſica ℥xv. in medio pervium, per quem lotium fluebat, ut nullus calculus adeſſe crederetur. *D. Loſſius.* Durum tumorem prope cervicem veſicæ, aliumque ad ſiniſtrum veſicæ latus, capite virili magnum Veſicæ oſſi pubis & recto inteſtino annexum, *D. Bartholinus.* Callum enormem & inæqualem ſub veſicæ collo M. a. *Severinus.* abſceſſum inter Renes & veſicam, & ulcus in collo veſicæ, *D. Salmuth.* Veſicam anguſtam, ut vix ovum anſerinum

æqua-

æquaret, *D. Timæus.* Veſicæ dislocationem, *D. Pedemontius.* Renem incruſtatum & lapideum, *D. Cnöffelius.* Renes à calculis perforatos grandi foramine usque ad dorſum, *D. Platerus.* Renem unum album & tumidum, alterum nigrum & marcidum, *Riolanus.* Renes ſiniſtri pelvim ita magnam, ut veſicæ locum ſuppleverit. *D. Tulpius.* Renem dextrum atrophià correptum & ſiniſtrum calculo obſeſſum, *D. Bartholinus.* Renes inflammatos, *Hildanus,* Uretheres denique ad pollicis ſpatium diſtentos, & urinam usque ad renes largius continentes, *D. Sylvius.* Muco refertos, *D. Salzmann.* Pituita & arenis, & excrementis plenos, *D. Ballonius.* Laminas oſſeas in illis, *D. Hartmannus,* & deficientes in ancilla *D. Wolffſtrigel.* Urethram ſabulo lethaliter infarctam, *D. Schmid.* Tophum in eadem hac fiſtula urinariâ, *D. Foreſtus.* Lapidem urethræ impactum, rotundum durum granorum XV. forcipe extractum, *D. Müllerus,* adeoque ſine inciſione, quæ ſuperveniente hæmorrhagiâ & gangrænâ pluries ægros ſuſtulit, quàm calculos quæque adminiſtranda edocta fuit à *DD. Wepffero,* E. N. C. D. 1. a. 3. O. 167. encheireſi tutâ & methodicâ.

Civis diſpoſitionis nephriritico-calculoſæ poſtpoſito conſilio medici agyrtæ ſe commiſit, & varia medicamenta ſub formâ potionum & pulverum urinam pellentium ac calculos frangentium ab eo propinata aſſumpſit. Hinc calculus non ſine acerbiſſimis doloribus verſus veſicæ ſphincterem promotus eſt, quem impoſtor digito in anum miſſo tanta violentia in urethram quoque promovere tentavit, ut inde dolores graviores, major urinæ difficultas & periculoſior inflammatio ſuccederent. Nebulo malè ſibi conſcius in auxilium ultrà vocatus non modò non comparuit, ſed & nuncio accepto, patientem delirare & agonizare, fugam arripuit ægrumque ſatis antea robuſtum & ſanum morti tradidit, quippe calculo eminentiis ſuis aſpero & acuminato per violentas protruſiones membranis ac nervoſis partibus ſummè inflammatis profundius infixo, omnium malorum & mortis conſecutæ, authore: *Ill. DD. Febrius.* E. N. C. D. 2. a. 1. O. 165. *Fœmina* nobilis ſplenetica & calculo Renum obnoxia ſumpſit intempeſtivè, non præmiſſis præparantibus aut aperientibus, potiunculam purgantem: Statim ſecutus eſt dolor & tenſio in Renibus per Uretheres ad Veſicam, cum urinatione modicâ ſabuloſâ, inſimul ſtranguriâ dyſuria & tandem iſchuriâ, ut venter & hepar intumuerint, reſpira-

tio difficilis reddita, & Cor penè suffocatum fuerit. *D. Lebenwald.* D. 2. a. 4. O. 83. *Vir Religiosus* podagricus chiragricus & calculosus inet externis Calculum in urethram & non amplius propulit, qui cùm ibidem fortissimè hæsisset, nec aliter auferri potuisset, rumpi debuit forcipe peculiari, & ex angustiis eximi. *D. Wagner in Helvet. Curios. Et molitor* nephriticus per biduum mingere nequivit: Chirurgus instrumento exploravit calculum orificio vesicæ tenaciter infixum, & Urinam prolicere tentavit, sed frustrà; Suasit medicus insessum ex *herbb. alth. parietar. Malva Mercurial. flor. hypericon. Ononid. Chamomill.* cum *baccis juniperi Seminibusque Lini & fœnugræci. &c.* Propinatâ simul Emulsione diuretica, ut transeunti calculo relaxentur obstructæ viæ. His ferebatur calculus magnâ difficultate ad Radicem virgæ, meatum augustiorem, ut calculo ope manuum, quantum possibile fuerat, in canalem intruso, incisio balani suscipi debuerit, quâ calculus avellanam magnus oblongæ figuræ forcipe exemptus, & urinæ magna copia emissa fuit. *D. Jægerschmid.* E. N. C. D. 3. a. 3. O. 102.

Faber ferrarius Amstelodami multum temporis gravissima tormenta à Calculo ejusque sectionem jam bis perpessus fuit. Cùm dolor iterum intensissimus supra modum gravis nec ultra perferendus esset, sibimetipsi vetusto cultro, nemine nisi discipulosuo adstante, acetum & similia procurante, Calculum unius libræ quadrantem pendentem exsecuit, satis temerario mirando & nunquam audito facinore. *D. Reiselius d. Autolithotomo.* Intra septem annos quater lithotomiam Mercator Noricus sustinuit, ponderatis singulis è Sectionibus collectis calculis ad ℥IX. & ʒiij. *D. D. Volkamer.* D. 2. a. 3. O. 177. Spatio unius anni 15. annorum *filio è* lithiasi penè consumpto, urgentibus sub mictione doloribus longius intolerabilibus, bis Calculos, primum ℥j & ʒj & alterum ℥ijß, & *Viro quinquagenario* unâ Operatione duos, utrumque ℥VI. feliciter vesicâ exscidit Lithotomus in Viciniâ nostrâ, cujus promptitudinem atque dexteritatem ipsi aliquoties præsens miratus sum. Decet enim, quin oportet medicum, interesse lithotomiæ, ut præsentiâ suâ & consilio vel supervenientia Symptomata emendare, vel operatorem timidum aut hærentem instruere, vel imperitè agentem corrigere, vel ubi, opus est ipse manus calculoso admovere possit; Quippe quod medico non turpe aut indignum censendum aut prohibitum contra jusjurandum *Hippocratis, ne me-*

dicus

dicus calculo laborantes secare, sed viris chirurgiæ operariis ejus rei faciendæ locum dare velit: Qui non semper exercitatas manus habent, artemque tam gravem & periculosam solius lucri causâ profitentur, nec unanimi methodo secant, ut diversis modis unguibus temerariorum operatorum, qui vocari quidem nolunt, subjecti pereant, & misero corpusculo tumulari debeant.

Quod, ut cætera satis nota mihi Sectionis imperitæ & malitiosæ exempla non attingam, irreparabile misselli sui corpusculi documentum usque ad capulum circumgestabit infelix illa nostræ ditionis *Puella*, quæ Sexennis Calculosa nacta est nuper Operatorem ferè octogenarium, propriâ verò suâ linguâ ac totidem suæ professionis meritis, penè scripsissem, mendaciis, lippis puerisque Celebrem, (cujus tamen nomini parcere christianus amor & honor jubent, siquidem ejusmodi Personalia verissima licet & meridiano Sole clariora odium occasionemque maledicendi præbeant,) Qui, cùm calculus avellanâ nuce major isque arenaceus & friabilis proximius hæsisset ad orificium urethræ, manu vel scalpello facillimè eximendus, *Speculum uteri*, violentum diducendi Naturalia instrumentum, adhuc tenellulis filiolæ genitalibus, citra modestiam senilem, morem artis ac lachrymantium Parentum precationes applicuit, & *audite, judicate, Lithotomi*! Sub prætextu, hunc non totum extractum fuisse, ob mollitiem sub operatione fractum & retrusum, aliumque majorem restitare in vesicâ, qui nonnisi novaculâ everri possit, sceleratâ incisione inferiorem pudendi partem & totum interfœmineum perscidit in unum foramen, tanto usque huc relicto illius & vulvulæ hiatu, quantus vix major esse potest mulieri difficillimo partu talem rupturam passæ; insuper saniosus sanguis perpetuò stillat è vaginula, interdum, quousque introspici potest, incrustatur limo tartareo, dolorosum pruritum inferente, cum immedicabili urinæ incontinentiâ, mirando æquè ac miserando spectaculo, quod singulariter dignum est, ut Lithotomiæ Sectatoribus communicetur, *Scilicet, ut retro*! ut habeant Præfectorem, qui ὀρχότομος καὶ λιθότομος modò insenuit, & sibi ipsi ita doctus visus fuit hactenus, qui Commentarios conscriberet in Opera *Paræi* & *Hildani*, Chirurgorum priori ætate perinclytorum, & quorum scripta dies adhuc nostra veneratur meritò. Turpissimum facinus, & an major ignorantia, quàm impudentia?

dentia? nescio. Quippe quò quis indoctior, eò impudentior, Si *Hippocratem* legisset, aut legendo intellexisset, crederem fermè, incidisse eum illo tempore, ut citò curam absolveret, in hæc Ejusdem verba: *In Chirurgiis, quæ per sectionem fiunt, velociter facienda sunt, & unicâ dissectione; Contingit enim, eos, qui secantur, dolere. & quod dolorem affert, convenit minimo tempore adesse.* Libr. d. Medico. Sed & hoc legere debuisset, *Omnia, quæ ad* Sapientiam *requiruntur, insunt in Medicina,* cujus Nobilior pars Chirurgia, *argenti contemptus verecundia judicium doctrina alienitas à mercimoniis & superstitione, cujus causâ per eam coercenda intemperantia inscitia avaritia concupiscentia rapinæ ac impudentia.* Idem d. Decent. Ornat. Vel ex *Celso*, Semper, ubi scalpellus admovetur, id agendum est, ut & quàm minimæ & quàm paucissimæ plagæ sint, cum eo tamen, ut Necessitati succurramus in modo & numero; *Sentent. Select.* l. 7. c. 1. Quàm verè ideo *D. Ettnerus*: Wie viele patienten sind schon durch unwissenheit und verwegenheit der Chirurgorum um Gesundheit und Leben kommen? Dann da durchbohret zersticht und zerschneidet man den Menschlichen Leib als wann man nur einen Stock vor sich hätte / und wendet dabey vor / es müsse also sein / die Kunst bringe es mit / man könne auff keine andere weise zukommen. Es ist aber nicht wahr / noch weniger Recht: Die Chirurgische Erfahrenheit erfordert viel mehr / daß ein rechtschaffener Gewissenhaffter Wund- und Schnitt-Artzt / nachdem er das Anligen seines Patienten in Augenschein genommen oder angehöret / schaue und bedencke / mit was Möglichkeit er dem Gebrechlichen und Hülffbegierigen Menschen bedient sein könne? Wann er als dann die Anatomie fein verstünde / als ein wahrer Chirurgus wissen muß / würde er so unverständiger und grausamer Schnitte und erweiterungen nicht von nöthen haben. Mein guter Freund! Es gilt Menschen und keine Schweine. &c. Verwegen. Chirurg.

In *Nosocomio Regio Parisiensi* sic proceditur cum calculoso sectionem subituro. Ille mensæ oblique sursum spectanti imponitur, retracta versus nates crura cum manibus benè colligantur duobus in locis, carpus nempe cum malleolis, & cubitus cum genu, coxæ verò à duobus robustis famulis utrinque diducuntur, diductæ ligantur vinculo, quod sex ulnas longum forte & palmam latum est. Lithotomus sinistræ manus digitos priores oleo olivarum imbutos in anum pueri demittit, dextrâ abdomen leviter premendo, ut calculum sub osse

pu-

pubis detrudat, & ad perinæum adducat; In viris autem, quia digitis suis ad fundum vesicæ pertingere non potest, Catheterem sulcatum adhibet, ejus extremitatem versus perinæum retorquet locumque sectionis indicat. Tum novaculâ fit incisio super catheterem usque in cavitatem vesicæ, ut catheteris extremitas extra vulnus promineat, deinde in sinum ejus aliud instrumentum immittitur instar parvæ terebræ, Conductorium dictum, extrahitur catheter iterumque hujus conductoris cavitati inditur dilatatorium, conductor aufertur, vulnus cochleæ beneficio ampliatur, donec forcipe extractorio apprehendi forasque educi possit calculus integer vel divisus. Simpliciter deligatur æger, ac strato imponitur. *D. Muralt. d. Section. Calcul. Vesicæ.* Secandi calculos sex apparatus proponit in lithologiâ suâ *D. Grœneveld artic. 23.* Tria sectionis loca signantur à *D. Van. Horne in Microtechn.* s. 2. p. 1. §. 21. scil. orificium vesicæ, pubis Regio & perinæum. Conf. *Franc. Toleti* Chirurgi galli *Traités de la lithotomie*, & in specie Dissertatio nova elegans *DD. Gœlike de Optimâ lithotomiam administrandi Ratione.*

Quibus ad latus poni meretur tum propriis, tum Familiæ suæ eô artis genere inclytæ meritis perclarus *DD. Jac. Wendel. Simonius*, antehac Embryulciæ & lithotomiæ in patriâ pronunc medicinæ quoque Practicus in Imperiali Heilbronna, Fautor & amicus honoratissimus, quippe qui compellare potest *Avum, Parentem, Patruum Patruelemque*, Viros in tota Chirurgiâ, speciatim extrahendis fœtibus calculisque felici manu ac solidâ peritiâ per Würtembergiam ac germaniam olim & nunc celebratissimos, Quique ipse in Doctoralis suæ Dissertationis *de Rationibus Embryulciæ & Lithotomiæ* 1708. habitæ *altero Capite* singulari candore, quod non cujusvis artificis est, cùm & figulus figulum hodie odio persequi soleat, arcana sua, vel dextrè ac celebri methodo instituendi solitas operandi Rationes ad communem imitationem aut censuram revelare, verum securum legitimum ac multâ prosperâ experientiâ comprobatum Processum, *Secandi Calculos in junioribus & adultis utriusque sexus*, unà regimen æquè clinicum ac chirurgico-medicum ejusque plenum apparatum publicè exponere & propalare in gloriam DEI & amorem sic *de vitâ* periclitantis proximi, forsan proprio candidæ conscientiæ instinctu motus non renuit, qua propter publicæ ipsi gratiæ solvendæ sunt, in lon-

 gos-

gosque annos semper benedicta Praxis à Supremo Numine exoranda. Siquidem rarissima hæc Operatorum Pietas & prompta voluntas est; tàm benevolè & apertè declarare modum, qui est de pane lucrando, & per quem paratur fama par imò prior ipsâ vitâ.

In *mulieribus* calculus facilè eximitur sine incisurâ, nisi nimis magnus sit, quia via nec longa est, nec flexuosa, sed recta & ob humiditatem semper præsentem dilatabilis. Digiti autem consueti profundè in genitalia intromittuntur & sursum versus vesicam inflectuntur, quousque calculus tangatur, tum ille duobus illis digitis quasi prehensus in vesicæ collum trahitur, indeque ad extrema urethræ ita truditur, ut exeat, vel forcipe eximatur. Etenim vesicæ foramen in pudendo visui statim occurrit, & sufficit, catheterem immittere, & infra ejus sulcum dilatatorium instrumentum indere & forcipe lapidem extrahere. Interdum tamen ob molem calculi in vesicæ orificio parva incisura facienda est, à quâ & nimis violentâ distensione periculum, ne læso sphinctere involuntaria mictio vel gangræna sequatur. *D. Blancard. in Prax. Medic. D. Dekers in not. ad Chirurg. Barbett.* D. *Gröneveld.* l. c. *D. Solingen* in den Handgriffen der Wund-Artzney c. 16. *Hildanus d. lithotom. mulierum* c. 22. & *Dionis* in seinen *Chirurg. Operationibus* figur. 16. von dem Steinschnitte der Weibsbilder. &c.

Ægyptiis lepida methodus est in extrahendo lapide è vesicâ sine excisione. Accipiunt cannulam ligneam octo digitos longam, & digitum pollicem latam in absolvendo opere. Hanc colis canali admovent & fortiter insufflant. Ne flatus ad interiora perveniat, extremum pudendi manu altera perstringunt, foramen cannulæ claudunt, ut virgæ canalis intumescat latiorque fiat, quô facto minister digito in anum posito lapidem paulatim ad canalem virgæ atque in ejus vas extremum deducit, qui ubi præputio calculum appropinquare sentit, cannulam à virgæ tubulo fortiter amovet, & lapis extrahitur; quam educendi calculum artem se propriis oculis vidisse practicatam in aliquibus Viris Principibus, confirmat *Prosper Alpinus* l. d. *medicin. Ægytior.*

Sectionem sine extractione docet *Thom. Fienus* tr. 9. c. 4. d. *præcip. artis Chirurg. Controvers.* Perinæum eô loco & modo, ac in verâ lithotomia secatur, & foramen postea canaliculo aut turundâ apertum

serva

fervatur, quoties urina urget, removendâ. Quæ Sectio in valdè fenibus locum habet, quia debiles funt, & ad terminum vitæ jam appulfi non uti juvenes extractionem benè ferunt. Præterea convenit Calculo extra ordinem magno, qui fine periculo mortis extrahi nequit. Perfectum equidem remedium non eft, quia calculum non aufert, qui ftudiô relinquitur. Nihilofecius multis ex partibus utile, quippe primaria Calculi fymptomata minuit, periculum ifchuriæ tollit illumque alias intolerabilem in Reddendâ acri urinâ cruciatum ob callofa facta incifionis labia, quibus nec fenfus nec dolor magis eft, imò mortem ipfam præcavet, quæ certè fecutura effet, cùm ex fuppreffæ urinæ multitudine, tùm tractu annorum vefícæ ulcere & inflammatione, ob quæ non levia commoda melius eft, hanc moleftiam per vitam ferre, quàm in difcrimen vitæ confentire. Verè enim *D. Barbette*, Omnem Calculi exfectionem periculofam effe propter tot contufiones ventris & vefícæ à digitis, catheteribus, conductoribus, verriculis tenaculis & uncis, unde hæmorrhagia & phlegmone; & facilè fieri poffe, quando calculus apprehenditur & extrahitur, ut unà vefícæ pars lethaliter dilaceretur. *Chirurg.* c. 26.

Adeò metuendum, fi ullo cafu fatalis horæ vires & poteftates in fufpicionem adducuntur, id ipfum fieri in Sectione Calculi, cùm æger propter calculum mortem metuat utque eam declinet, remedio utatur, quâ mortem acceleret, & fati à calculo imminentis punctum ferri iniquitate ac graffante per vifcera operatoris manu fibi vindicet. Trifte afpectu! Homines à calculi labore fibi redditos & in fpeciem fanos novorum tormentorum fæpè mortis Candidatos fieri. Tamen, quia omnis ille apparatus ad lætum exodium fpectat, votis precibus nummisve beneficium petitur carnificis manus, exorantur magiftri, ut defperato dolori finem cultro imponant. Affuefcunt corpora calculoforum cruciatibus his ferendis, & vexata fortitudo velut in callum duratur. Non fine horrore videndum, quæ ferramentorum farrago, antè defatigatis Chirurgis, quàm ægrotis. Miferabile tamen eft, fub tanto onere gementes ad afpectum calculi velut triumphantis hoftis omnium dolorum oblivifci, pueris etiam minus fæpè lachrymarum profluere, quàm adultis, & in illâ ætate vel ad dolofi nummuli oftentationem dolores omnes velut fafcino fopitos acquiefcere impunè jam lancinantibus operatoribus. Multum autem

inter-

intereſt, metu quis an ſpe ſanitatis diriſſimam operationem recipiat? Qui cum metu, medicinæ ſpeciem morbo ipſo graviorem exiſtimantes peſſima quæque animo præcipiunt, ac mortis perſuaſæ diritatem querulo clamore teſtantur. Quibus autem in uno hoc Remedio ſpes & animus Victoriæ certus, illis dolores, quos prius paſſi ſunt, & adhuc patiuntur ſub cultro, in contemptum veniunt meliusque tolerantur. *D. D. Pechlinus* libr. 1. *Obſ.* 1. & 6.

TANTUM.